SIMEIOTICE
Sive
ENCHIRIDION.
DE *SIGNIS.*
JOANNIS
PRÆVOTII.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-169830-p0944-5
DFG

METHODUS COMPENDIOsa dignoscendi affectiones præter naturam, accarum eventus prædicendi.

IOH. PRÆVOTII.

De signi natura, & Differentiis.

CAPUT I.

DVæ sunt artis Medicæ partes præcipuæ, inventio remedii; & recta inventi administratio. Vtraq; ab affectus pender notitia, quam ideò appellant remedii inventionem: Quod autem nos veluti manu ducit in alicuius rei cognitionẽ, signum dicitur: Estq; notius nobis sivè sensu, sivè ratione, quàm sit signatũ, cuiꝰ notitiã per signũ quęrimus, ut propterea constitui debeat, vel mediũ demõstrationis, [quia] quę à nobis notissimis ad caussa-

cauſſarum pergit inveſtigationem, vel à medio demonſtrationis [propter quid] quando à cauſſa nobis nota aliquem effectum denotare contingit, frequentius verò eſt medius terminus Syllog. cum multo maxima ſignorum pars dubia ſit, & coniecturalis. Signi autem nomen cum inditio confundo, licet Galenus preſſiori acceptione dicat ſignũ eſſe certum rei alicuius argumentum, inditium verò probabile.

Signorum variæ ſunt ſpecies pro rerum, quas *indicant*, diverſitate. Indicantur corpora, & eorum cauſæ tum formales, tum efficientes, quæ tria cum ſint ſalubria, inſalubria, & neutra, oritur prima ſpecies ſignorum, ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum, quorum ſunt etiam tot ſubdiviſiones, quot corporum & cauſſarum. Cumq; alia manifeſtius indicent, alia obſcurius fiunt ſigna vel propria, vel communia, illa certiora ſunt, iſta incertiora.

Pro-

Propriorum quædam dicuntur Pathognomonica, & essentialiter concomitantia, quædam mox apparentia, & supervenientia. Rursum significari omnia sub aliqua temporis conditione oportet præteriti, præsentis, aut futuri. Hinc signorum divisio in anamnestica, rememorativa, Diagnostica & Prognostica: Rememorativorum quædam sunt præterita, & indicant rem præsentem, ut cum ex naturali statu antea cognito metimur præsentis morbi recessum à statu naturali, quædam sunt præsentia, & indicant rem præteritam, utpote causam externam morbi. Diagnostica tot sunt quos indicata curativa præservativa, & vitalia, quæ omnia signis dignosci debent ad curationem recte instituendam. Prognostica alia indicant morbum adventantem, alia in morbo iam facto quidpiam prædicunt, à quo appellationem sumunt signorum salutis, aut mortis, lon-

longitudinis, & brevitatis, coctionis, & crisis.

Al æ sumi possent signorum differentiæ, [quamquam minùs utiles] ratione facultatum, quibus res significãtes sunt cognitę, cum quędam visui, quędam gustui, & cęt. sint notę. Sedà diversitate rerum significantium oriuntur quatuor pręcipuę signorum differentię, quę signorũ fontes ideò dicuntur, quod reduci ad ipsos nẽcesse sit quidquid aliud quidpiam prius ignotũ manifestat. Primus fons est natura rei signatę, quam Gal. essentialiter inhęrentia vocat. Secundus est ab effectibus. Tertius à causis. Quartus à simili, & dissimili. Essentialiter inhærere dicitur quidquid ad rei cõstitutionem attinet, & proximè illam sequitur: Illud in membris similarib. est temperamentũ duities & mollities, in organicis, est figura, cavitas, conformatio, magnitudo, numerus, situs, nexus, proportio:

Morbi

Morbi, & eorum cauſę varias habent naturas pro ſui diverſitate: ſic Tertiana noſcitur à propria idęa cum Febris tertia quaq; die revertitur. Effectus in ſanis dicuntur accidentia, in ęgris ſymptomata. Accidentia ſanitatis ſunt actiones bonę, naturalia excrementa non permutata, maximè forma, & pulchritudo. Symptomata ſunt effectus morbi, ſcil. actio lęſa, qualitas mutata, & excreta, vel retenta. In excretis ſex conſiderantur. Subſtantia, quantitas, qualitas, motus, locus, & tempus. Cauſarũ autẽ morbificarum effectus ſunt morbi ipſi, & prętereà quędam actiones lęſę, quę intermedio fiunt per modum erroris externi, veluti cruditas à nimia copia cibi. Cauſſę ſunt externę, alię internę.

Externę vel neceſſariò occurrunt, cibus, aer, ſomnus, & vigilia, motꝰ, & quies, excreta, & retẽta, animi perturbationes. Vel nõ neceſſariò

riò occurrunt nempe venena, medicamenta, & quodcunque ab electione, fortuna, casu variisque hominũ studiis pendent, ut vectiones, equitationes, lucubrationes, &c. Internæ aliæ naturales, suntq; dispositiones, & constitutiones partium, quas ideo causas dispositivas appellare liceat: Aliæ sunt principaliter efficientes: Aliæ fouentes tantum, sive id faciant per se, ut calor bilis respectu iecoris æstuantis, sive per accidens, ut cutis densitas respectu materiæ, quæ digeri deberet: Et causæ multiplicantes respectu abundantium humorẽ qui nec vitio efficientis, nec assumptorum colliguntur. Alię demum quęcunq; sint internæ, aut externæ, vel sunt iuvantes, vel lædentes. Hinc patet alia signorum divisio in signa tantum, & in ea quæ sunt signa, & causæ signi; Per simile, aut dissimile intelligo quodcumq; signarum notum, quodad aliud comparatum nos

nos ducit in eius cognitionem: Vndè si materialiter loquamur, simile, & dissimile, non esta tribus reliquis fontibus distinctum sed per omnes vagatur. Formaliter autem est diversus, quia ratione dissimilitudinis infert aliquid, cuius alterum simile nec est causa, nec effectus, nec essentialiter inhærens. Vt si ex Feb. populariter grassante colligas Feb. Petri esse malignam: Nam feb. cui' utor similitudine non est forma identica, aut causa, aut effectus feb. qua Petrus vexatur. Vt autem optima sint comparatio eius, quo cum facienda est comparatio, habēda, est cognitio exactissima; ideò naturam ægri, mores individuales proprietates diligenter discere ante oportet, quàm fiat unius cum altero comparatio. Ex iis fontib. petendum quodcumque signum rei nobis incognita, sufficiunt tamen plerūq; signa ex uno fonte ad rem manifestandam nec semne est opus

revocare ad usum omnia signorum cap. Ultimus locum habet in morbis occultis, qui experientia magis, quam ratione innotescunt.

Ordo signorum, si naturam spectes, sic esset distribuendus, ut ab illis initium sumeretur, quę indicant quid agendum; Ac si facilitatē nostrę cognitionis, ordiendum ab indicantib. indicans inhęrens, unde sumitur ubi agendum, unde Galenus 1. de l. aff. *præcipit, ut à loco affecto cognitionē auspicemur*, deinde affectionem, ac postremò eius causam investigemus: Quamquam interdū evenit ut duo simul cognoscantur, & locus affectus affectionem quoq; detegat; ut dolor in articulis manus chiragram, in coxis ischiadem. Ergo pergamus ad signa tum diagnostica, tum prognostica, omissis interim signis respicientibus indicatum vitale, quę ad tuendam sanitatem propriè pertinent.

Qua

Qua ratione locus affectus dignoscatur.

CAPVT II.

IN dignoscendo loco affecto primò tenendum, quę pars afficiatur, deinde afficiatur ne per essentiam an per consensum; locus affectus cognoscitur primò ab essentialiter inhęrentib. vid. intemp. mala compositione, solutaunitate, partisque proprietate. *Si* tamen totũ corpus sit affectum, ut *in* febre signis non eget. Intemperamentum est signum partis affectę, quę tactu percipitur à magnitudine imminuta totius corporis colligimus affectũ esse viscus aliquid naturale. Aucta magnitudo cap. in hydrocephalo significat pericranium esse affectum, quia cranium attolli nequit in tumorem: situs partis efficacior est in indicando loco affecto: sic tumor in dextro latere sub costis mendosis affectum hepar significatur: ex figura colligimus spinam affici,

affici, cum quispiam sit gibbus; Ex cavitate arguimus arteriam affectā si adsit tumor pulsans, & in profundum cedens, ex asperitate os esse corruptum, si stylo in vulnus immisso næqualitas sentiatur. Ex soluta unitate concludimus mænin-ges esse læsas, si vulnus ad cerebrū pertingat, quia partes superpositas vulnerari oportet. A partis proprietate dicimus affici musculorum intercapedines, si *ingens palpitatio in tibia conspiciatur, quia* nimirū ossium cavitates omnino distendi non possunt, Vasorum autem non tantopere. Item si cum urina calculus exeat, vesicam, aut renes affici notat, quod illis partibus proprietas sit calculos producendi.

Secundò cognoscitur locus affectibus ipsum consequentib. quæ sunt symptom., & morbi aliis morbis symp. more succedētes. Inter symp. primū locum tenet actio læsa in dignoscendo loco affecto, quoniam

actionem

actionem aliquam lædi impossibile est non læso quadantenus ipsius organo. Sola actio læsa, quæ ab errore externo fit, nihil valet ad indicandum locum morbo affectum: Si quis enim de cruditate conquerens referat se cibum præter modum ingessisse, ventriculum morbo affici nemo dicet, sed tantum ab errore externo. Actionum verò cum multæ sint species, quælibet indicat affici *partem*, à *quâ* producitur: læsio rationis, necnon *sensus*, motusque universi corporis affectum cerebrum significat: Læsio sensus, & motus totius, excepto cap. significat læsum esse principium spinalis medullæ. Sensus tactus, cum habeat objectum communius, quàm alii sensus, doloris proprietate affectus part. indicat, de qua re Galenus 2. de l. affect. Dolor pulsans significat partem arteriis præditam inflammari.

Gravativus afficiat aliquod viscus; Extensivus,& punctorius membranam. Divellens carnem. Ulcerosus musculos, totos, aut cutem. Ostocopus,seu profundus,& quasi contundens, membranas ossium: Pruriginosus cutem, extensivus cum gravitate venam, aut arteriam: At si doloris proprietati,ejusdem situs conjungatur, evadit signum minimè fallax. Læsio pulsus cor: sanguificationis vitium, *affectum hepar notat. Et sic de cæt.* Quòd si pars affecta multis constat partib9 similaribus iisdem modis judicandum, quæ ex ipsis præcipuè afficiatur, ex.g: si repentè accidat cæcitas, læsum quidem esse oculum constat; Sed quæ potissimùm pars ipsius affecta sit ignoratur. Itaque à mutata qualitate, si oculus minimè turbidus appareat, si sano oculo clauso læsi pupilla non dilatetur nervos opticos

cos affectos esse cõstat. Tertiò cognoscitur locus affectus ab excretis, substantia excretorum indicat locum, undè excernitur dupliciter, vel quia ejus est substantia, quomodo ramentum in dejectionibus ulcus intestinorum denotat; vel quia in eo naturaliter continetur, sic stercus exiens è vulnere abdominis læsa intestina crassa significat. Urina ex vulnere exiens vesicã. A quantitate excreti cognoscimus locum, quando copiosam mictionem sanguinis renes affectos indicare dicimus: A qualitate arguimus pulmonum venas affici, cum sanguis floridus, & spumosus tussi rejicitur: Sic dejectio cibi alterati à ventriculo tenuia intestina lædi significat, Arenulæ, rubræ renes; Arenulæ, albæ, magnæ, & furfuribus similes vesicam: A modo excretionis colligitur læsa arteria, si sanguis cum saltu ex vulnere e-

rumpat. Pariter sanguis jam fæcibus mixtus intestina tenuia, partesque superiores, non mixtus anum, vel crassa intestina affici ostendit. A loco per quem fit excretio sæpe colligitur locus affectus, ita pus copiosum fluens è naribus cerebri abscessum significat. A tempore excernendi: Si in Homine patiente singulis mensibus hæmorrh. sanguis ex alvo justo circuitu fluat, ex hæmorrhoidibus illico *prodire firmamus.*

Retenta quoque affectas significant partes, nam exempli gratia, si lotium retineatur affecta velica, aut meatu urinario id contingit. Qualitas mutata per omnia sensibilium genera vagatur: Inter colores, caro & cutis livida subjectum os corruptum monstrat, color flavus totius corporis jecur obstructum, niger lienem, pallidus jecur labefactatum, oculus perspicuus

in

in cæco nervum opticum affectum. Morbi quoque habent rationem effectus in significando loco affecto, cum quidam certis tantum partibus affficiant, ac certos morbos consequantur; Sic aquosus abdominis tumor jecur affectum: Tabes pulmonem: Hydrocephalus cerebrum: Gibbositas spinam affici significat.

Tertius fons signorum sumitur à causis; ac externæ in primis consideratæ quatenus juvantes, aut lædentes aff. loc. significant; Ut si quis post diuturnum usum ciborum calidorum incidat in maciem, potius jecur esse læsum, quam ventriculum, quia calidiora plus inferunt noxæ hepati, quàm Ventriculo: Si quis post assiduum coitum, de totius languore conqueratur, cor affectum esse dicimus, quia ejus robur coitu solutum est. Si quis ab assumptis cantharidibus

conqueratur ; vesicam ulceratam colligimus, quia ipsa ab eo veneno peculiariter afficitur. Si quis natationi in aqua dulci assuetus ambulandi perdat potentiam, nervos primariò affici dicimus. Hac ratione ex remediis admotis, & assumptis, quatenus lædunt, aut juvant, sæpe cognoscitur pars affecta: Ut si digito sensu, & motu privato ceratum applicans calefaciendi, & digerendi vi præditum lædas, *juves autem eodem medicamento principio spinæ* appositio, nervos à secunda vertebra procedentes affici, nequaquam verò digitum apparebit. Si in Ventris dolore anodyna per os assumpta dolorem non leniant, leniant autem injecta per alvum, significatur affecta esse crassa intestina, si dubites de caruncula urinam supprimente, an sit in collo vesicæ, an in meatu urinario candela longiore immissa facilè con-

jicies,

jicies, si enim nihil juves collum afficitur. Omninò si diligenter examines, quæ res determinatam partem præcipuè afficiat, sive juvando sive nocendo, eam partem affectam non obscurè indicabit. Causæ dispositivæ adjuvant ad loci affecti cognitionem, præsertim hæreditariæ affect. parentum, ætas quibusdam morbis magis obnoxia; Sexus cujus causa morbos muliebres ferè omnes ab utero fieri voluit Hipp., & consuetudo laborandi, cum quidam quarundam partium affectionibus prehendi soleant.

Quartò cognoscitur l.aff.à simili, & dissimili, similitudines maximam vim habent, cum nulla habēt signa pathognomonica. Ut si quis sicca tussi sensim crescēte cum maxima pulsus inæqualitate repentè moriatur; Quia in eo dissecto tuberculum reperi circa arterias

læves, alium videns similibus prehendi accidentibus arterias læves pulmonum affici tuberculo assevero : In Pleuritide dubitant plerique, an affecta sit pleura, an membrana Pulm. investiens : Quia in nonnullis pleuriticis mortuis, & sectis Pleuram inflammatam vidi, eam in omni pleuritide similitudine ductus affici cognosco : Hactenus hæc sunt signa locorum affectorum assignata à Gal. *l.* de *l. Aff.*

Similitudinem omisit, quia in dignoscendo loco affecto rarò ea utimur, & solùm ubi ratio deest; compendiosæ autem, quam profitetur, doctrinæ ratio postulat, ut minus necessaria prætermittantur.

* *
*

Quomodo locus affectus per essentiam distinguatur ab eo, qui afficitur per consensum.

CAPUT III.

COgnito loco affecto distinguendum est propriis signis, an per consensum afficiatur, an per essentiam, ut constet, cuinam parti sit remedium applicandum 2. de l. aff. c. 3. Fiunt autem morbi per consensum dupliciter. 1. de l. aff. c. 6. vel quia materiæ, vel facultatis debita copia parti nō transmittitur, diciturq; propriè morbus per consensum, vel quia à vaporibus, aut humoribus aliunde fluentibus pars vexatur, qui morbus per consensum minùs propriè dicitur: Illum privativum, illum positivum consensum nuncupant, qui etiam fit parte vicina ad intemp. deducta ob connexum nulla communicata materia. In positivo

consensu attendenda est dispositio partis mandantis, & recipientis: In privativo connexus, & dependentia partium, communicatio in actionibus, & facilitas, & difficultas communicationis affectus: His enim rectè cognitis, non erit operosum distinguere affectum per consensum ab essentiali. Afficiuntur facilè per consensum partes calidæ, & humidæ, atque adeò molles, quia ratione caloris attrahunt, *ratione humiditatis*, & laxitatis facilè suscipiunt: Difficulter frigidæ, siccæ, & duræ, ut ossa. Ratione situs, caput facilè suscipit quidquid sursum evaporat, quia reliquis partibus supereminet: Ventres, & Pulmo, quia cap. subiacent, facilè à labentibus inde excrementis ad locum declivem afficiuntur. Ratione connexus cor facilè consentit ori superno ventriculi, ventriculo intestina, nervis cerebrum,

ve-

venis jecur, arteriis cor: Planè quæcunq; partes communicant in venis nervis arteriis, undè proximè, & sine magnis gyris fieri translatio materiæ possit, facilè invicem consentiunt, ut sunt partes habentes nervos ejusdem conjugationis, vel venas, aut arterias ab eadem propagine derivatas. Ratione cavitatis thorax facilè afficitur à cerebro: Meatus etiam, quò sunt plures, eò proclivioré reddunt partem ad cujuscunq; rei influxum admittendũ, veluti cutis, quæ etiam ob situm in corporis superficie facillimè omnium afficitur per consensum: A naturali constitutione resultat partis proprietas, quæ est causa consensus efficaciſſima. Nam partes actionem communem habentes affectæ, aliis inde gubernatis noxam impertiunt: Sic marcescente corde, jecore, ventriculo, totum consumitur: Affecto cerebro totius corporis sen-

ſus, motusque læditur. Sic partes ad idem opus conſpirantes facilè ſe ſe mutuò offendunt ; Uterus mammas , partes ventriculo incumbentes, & concoctionem adjuvantes ventriculum : Quæ verò publicum habent uſum, & à natura debiles factæ ſunt frigidæ ſc., & laxæ ; Aut ſanè alia proprietate deſtinatæ ad alicujus excrementi receptionem, expurgationemque, ut Anus, lien, veſica ſellea, glandulæ, renes, veſica, uterus, nares: facilè per conſenſum afficiuntur à partibus nobilioribus, quarum cuſtodiæ, & repurgationi ſunt dicatæ: Ex morbis verò partem diſponentibus ad affectionem per conſenſum eſt in primis laxitas, ſive morbus in meatu, deinde intemperies frigida, & humida, quatũ cauſa redditur pars prima ad ſuſcipiendũ: Poſtremò intẽperies calida, cujus ratione diſſentaneos humo-

mo-

mores, & vapores aliunde ad se allicit. Unde constat morbos à materia provenientes frequentissimè communicari per consensum, sive sint intemperies, sive malæ conformationes, præsertim verò tumores, sive ulcera, quæ sæpe fiunt materia acri, aliò, quàm ubi est genita, expulsâ. Intemperies sine materia, aliquando communicatur per consensum, sic à Bubone, & Erisypelate fit Feb. Eph. à pedum frigiditate fit intestinorum imbecillitas: Actiones læsæ quæ ob errorem externum fiunt ferè accidunt per consensum, & potissimum dolor.

His notatis ne in cognoscendo morbo per consensum Medicus decipiatur, advertendum, si diu durent, præsertim verò si à materia pendeant, fieri consueviſſe essentiales: Advertendum, cum Aver. 4. coll. Medicos interdum decipi ab essentialibus affectibus putantes

inde provenire omnium, quę apparent, actionum læsiones: Ut si quis cap. laboret proprio affectu, qui tamen dolorem per se inferre nequeat, ascendente tamen à ventriculo vapore, dolore corripiatur, falletur Medicus, si dolorem esse cap. essentialem judicet. Oppositio modo falletur affectum putans essentialem esse per consensum, quando essentialis dispositio malũ non producit, nisi aliquid aliunde accedat, quod *essentialem causam excitet*. Patet enim gratia exempli esse essentialis apparatus epilepticus in cerebro, qui tamen paroxysmum non efficiat nisi accedente ab infernis partibus aliquo vapore, à quo agitetur materia in cerebro latens: Tunc enim affectio partim essentialis est, partim per consensum, & maximè cognoscitur à duratione, quia si sæpius revertatur accessio, licèt primis vicibus per consensum tantùm fiat,

fiat, mox tamen cerebrum trahit in malam, & essentialem dispositionem, unde mali recursus in posterum præcipuè pendet: Advertendum tertiò decipi Medicum cum ex una causa duæ aut plures partes afficiuntur à tertia aliqua parte mittente, ita ut læsio in una priùs appareat, utrobique simul augeatur, accesset, veluti si jecur bilem mittens ventriculo, & capiti, efficiat prius angorem, sitim, vomitum, deinde capitis dolorem, qui crescentibus ventriculi accidentibus crescat, & unà cum ipsis recedat: Falsò judicabit dolorem capitis esse per consensum à ventriculo, cum sit per consensum à jecore.

His ergo signis affectus per consensum ab essentiali distinguitur. Primò ab essentialiter inhęrentib9, si affectio ex se sit facilè communicabi-

cabilis, timendum ne sit per consensum: si altera aliqua, quæ appareat in corpore, sit posterior, vel tempore, vel natura, & causalitate, ut febris ratione inflammationis: Secundò distinguitur à causis juvantibus, & lædentibus, nam si præcessere causæ potissimum nocentes uni parti, ac postea superveniant accidentia alteri parti, quæ possit cum priori consentire, talia per consensum fieri judicabimus: *Ut si assumptis pravis* cibis ventriculo primò noxiis cephalalgia superveniat, credibile est per consensum à ventriculo fieri. Pariter si remedia alteri parti applicita affectionem irritent, aut juvent, nullis interim remediis alteri applicitis, affectio est essentialis parti, quæ à remediis applicitis juvatur, aut læditur, alteri autem inest per consensum: Tertiò distinguitur à symptomatibus. Nam in parte essen-

sentialiter affecta apparere prius solent symptomata, quàm in ea, quę per consensum afficitur, solent etiam esse graviora, diuturniora. Ad quorum magnitudinem crescũt accidentia partis per consensum lęsę: Minuuntur, & penitus abolentur illis abeuntibus, & cessantibus: Nisi affectus per consensum diuturnitate temporis migraverit in essentialem; tunc enim recedentib. accidentibus partis primò læsæ alterius accidentia leniuntur quidem, sed planè non evanescunt. Præterea affectiones per consensũ solent reverti quibusdã intervallis, nec habent continua accidẽtia, sicut affectus per essentiam. Evenire tamen potest essentialem affectum, esse quoque interpolatum, ut dolor à flatu, & è contrario affectum per consensum esse continuum, si ab initio eadem ferè materiæ portio à parte essentialiter affecta ad aliam con-

continuè transmittatur, quod rarissimum est.

Ab exeuntibus cognoscitur locus per essentiam affectus. Nam duabus partibus affectis si ad unius evacuationem altera sublevetur illam per consensum laborare certum est. Ut si ventres caputq; dolorib. afficiantur, & vomitu bilis mitigetur cap. dolor: Eodem pacto, si dolente capite, aut Ventre menstruum superveniens dolorem tollat, indicat utramque partem utero consensisse. Atque hæc signa simul juncta faciunt certitudinem, sola accepta non perpetuò distinguunt affectum per consensum ab essentiali.

Quartò cognoscitur locus affectus per consensum à simili: nam exempli gratia, si cuidam ex curru decidenti ex inflammatione circa tertiam vertebram perditus fuit sensus, motusque medii digiti, cujus

jus curatio ex applicatione Medicamentorum ad partem contusam docuit medium digitum affectum fuisse per consensum; Quando tumore circa illas vertebras exorto medius digitus resolvitur; sumpto argumento à simili licebit affirmare digitum affici per consensum.

Quomodo morbus cognoscatur.

CAPUT IV.

LOci affecti notitiam sequitur cognitio pravæ dispositionis, quoniam prima indicatio ad morbum dirigitur, secunda, & minus principalis ad morbi caussam. Morbus in genere duplici signo cognoscitur, primò à causis morbificis, si præcesserint, secundò, & maximè à symptomatis, in actione simpliciter læsa, dummodo

do non sit læsa, ob errorem externum.

Species morbi sæpe est sensibus conspicua, nec signis eget: Intemperies enim partium externarum facta percipitur; Aucta magnitudo, & soluta unitas visu, & tactu. Quod si morbi species sensus lateat, iis signis dignoscetur: Primò à caussis externis (ab aere) nam aeris qualitates producunt morbos inintemp. sibi similes. Huc *referuntur, quæ aeri accidunt*, regiones, anni tempora, cœli constitutio caliginosa, pluviosa, aquilonaris, austrina, &c. Sed & aer, ut juvans, aut lædens est considerandus, siquidem in aere calido morbi frigidi sublevantur, in humido sicci, & è contrario. In alimentis spectanda est substantia, quantitas, qualitas, præparatio, ordo, tempus. Substantia namq; cibi optimi succi, & plurimùm nutrientes morbos faciunt

ex

ex plenitudine, cibi varii, & dissimilis substantiæ morbos ex cruditate. Quantitas: cibus enim plus ingestus morbos facit ex repletione 2. aph. cibi penuria ex inanitione morbos. Qualitas, nam cibi calidi, ut vinum generosum, fercula aromatibus condita, allii, porri, & cæparum usus calidos, & siccos morbos pariunt, & paritercibi crassæ substantiæ, ut lac, panis non fermentatus, ostreæ obstructiones, quod etiam cibis adstringentibus convenit, ut mespilis, sorbis, cotoneis, &c. Hac ratione si cibus calidior ægrum juvet signum est morbi frigidi, si juvet cibus laxans morbi in adstrictione, si noceat, morbi in laxitate, &c. Ordo: Nam qui cibo adstringente in prima mensa uti consuevere, doloribus & gravitate ventriculi corripiuntur ob tardum cibi descensum gratia stricti Pylori id est inferioris ventriculi. Tempus:

pus: natura comedentes horis intempestivis priore cibo adhuc inconcocto incidunt in morbos ex cruditate, ut obstructiones, scyros, &c. A motu, & quiete ducitur quoque argumentum, otium enim & nimia quies morbos frigidos humidosque parit, & significat, validus motus calidos, siccosque. Intempestivus motus assumpto cibo indicat obstructiones. Nimius coitus refrigerationem, & *laxationem partium* spermaticarum. A somno, & vigilia: Nam vigiliæ assiduæ inferunt siccitates, & calidum innatum dissolvunt, somnus immodicus idem obruit, & extinguit. Ex Animi perturbationibus. Nam immodica iracundia corpus accendit, timor, & mœror refrigerat. Retenta, & excreta, ut morborum causæ eosdem significant, sic retentæ fæces indi-

dicant morbum inteſtinorum in anguſtia ex conſtipatione : Retentæ narium humiditates, cerebrum humidius : De iiſdem excretis, & retentis, ut habent rationem effectus, & ſymptomatum rurſus dicetur. Inter cauſas non neceſſariò occurrentes maximè indicant morbos medicamenta priùs applicita : Nam immodicus uſus calidorum medicamentorum morbos cal. dos gignit, incraſſantium obſtructiones, &c. Idem ſignificant medicam. ut lædunt, aut juvant : Nam ſi venter malè affectus cal. medicam. juvetur, frigiditate laborat, ſi lædatur caliditate. Venena ſignificant peculiares morbos, quos efficiunt, nam aſſumptum Arſenicum ſignificat ulcus ventris, aſſumptum Euphorbium, Ranunculus ventriculi inflammationem. Aconitum, aut napellus feb. ſynochum malignam

ex

ex corruptione: Ad hoc genus causæ pertinent eventus fortuiti, nam gratia exempli, casq; ab alto significat venæ ruptionem, ictus validus cap. cranii fissionem, ictus sclopeti vulnus compositum cum amissione substantiæ, & contusione: Præterea varia hominum studia, & consuetudines significant morbos consequentes. Sic assidua equitatio indicat laxitatem articuli coxendicis, cujus causa Hipp. ait Scytas *ob equitandi exercitium ischiadi esse obnoxios*: Ex venatione subdio cerebrum fit frig. & humid. Ex venatione per rura rorida pedes refrigerantur: A consuetudine balneandi in aqua dulci fiunt articulorum laxitates, & Ventres debilitantur: A studiis post cibum cap. repletur. Ab interrupto somno, quando concoctio laboratur, ut accidit Religiosis pituita cumulatur, unde venter frigidus, humidusque redditur.

ditur. Sanè cum antecedentes causæ ab externis moveantur sunt diligenter examinandæ, nam externæ causæ prægressę, veluti certos morbos prænunciant, ita si prægressæ non fuerint magnam contrariorum morborum conjecturam præbent, quod ad dignoscendos morbos complicatos maximè usu venit: gratia exempli, si aliquæ causæ externæ morbum calfacere potentes præcesserint, & si non multæ, neque vehementes magnum præbent inditium morbi calidi si nulla præcesserit causa contrarium morbum efficere potens.

Sed, & internæ causæ morbi speciem connotant tum efficientes, seu antecedentes, tum dispositivæ. Efficientes sunt humores, & quæ ex illis fiunt, omneq; excrementi genus, quæ omnia sub ratione causæ obscura esse solent, propriisque signis egent, morbum

autem significant, quatenus excernuntur, aut retinentur, de qua re in sermone de symptomatis. Dispositivæ verò morbos significant quatenus ostendunt, quæ pars una morbi specie faciliùs corripiatur, quàm alia: Jecur ob temperiem calidam faciliùs corripitur morbo calido, quàm Ventriculus: Genus carnosum faciliùs exsiccatur, quàm spermaticum, quia carnosa humiditas citiùs absumitur, quam *spermatica*: *Ratione mollitiei* facilius ulceratur caro, quam nervus, cartilago, ossa, quorum duritiesi erosioni resistit. Ratione conformationis, facilius obstruitur Uterus in virgine, quam adulta, quoniam illius venæ sunt exiliores, & angustiores: Jecur est obstructionibus obnoxium, quia minimis venarum propaginibus totum est confertum, velut & mesaræum: Membranæ quia venas habent parvas, inflam-

flammationibus ægrè prehenduntur. Ratione situs, connexionis, & cavitatis articulus coxæ difficulter laxatur, & semiluxari non patitur ob articuli rotunditatem. Ratione proprietatis, & naturalis constitutionis lien facilè tumescit, quia sanguine crasso, terrestrique alitur, pariter, glandulæ ad tumores sunt pronæ quia viscerum repurgationi sunt dicatæ: Anus facilè ulceratur, quia *est corporis velut sentina*, ad quam excrementa *cujusvis* conditionis deponuntur. Ad causas dispositivas refero ætatem, & sexum, quia sunt quædam temper. passiones. Ratione ætatis oris ulceribus prehendi solent infantes, quia lac pravum aliquando sugunt. Adolescentes hectica ægriùs afficiuntur ob affluentem humiditatem, quam adulti. Ratione sexus mulieres, & eunuchi, ob mollitiem corporis lentiùs emarcescunt.

Mulieres facilè corripiuntur cancrosis mammarum tumoribus ob sanguinis confluentis copiam.

Secundò noscitur morbi species ab essentialiter inhærentibus, soluta unitas morbi speciem ostendit, ubicunq; sub aspectum, aut tactum cadit. Mala conformatio in externis partibus pene denotat qualis sit morbus, maximè morbus in figura, magnitudine, numero, & situ.

In partibus internis indicat mediatè *ratione qualitatis* mutatæ in partibus suprapositis: Sic ex eminentia cutis supra lienem, & ejusdem partis duritie lienis tumorem cognoscimus: Intemperies vel externa tantum, vel in partibus non profundissimis, quarum alteratio ad cutem perveniat, aut saltem ab ægro persentiatur, se ipsam prodit: Si æger referat, se velut gelu circa Ventrem perpetuò sentire, nervo

du-

dubitat de frigida illius intemp. Si supra jecur calorem continuum, & mordacem sentiat, intemperie calida afficitur. Sic feb. adesse dicimus cum universum corpus deuri ad tactum judicatur.

Febres autem distingues ex caloris motu, & qualitate: calor mitis, & halituosus ephem. significat, i. de Differ. feb. 8. Calor primo occursu vaporosus, deinde cum in æqualitate increscens, acriorque factus feb. ex Pituita 2. de diff. feb. 12. calor erodens & mordax feb. ex bile ibidem. Calor intensissimus, atque mordacissimus cujus nullam mutationem æger percipiat, feb. ardentem. Calor ægro intolerabilis eodem in statu à principio ad finem usque manens, vel semper decrescens, aut increscens, siquidem tactui minimè sit mordax; synocham sine putredine; Si verò sit mordax, cum putredine 9. Meth. 4. Calor

multos dies in eod. ſtatu perſeverãs primo manus occurſu mitis, deinde v. acris, & ſquallidus apparens atq; una, vel altera hora à cibo ſumpto quoddam incrementum ſumens; Febrem hecticam 1. de diff. feb. 11.

Pari ratione calor quarto quoq; die reveritens quartanam, tertiò tertianam ſignificat, quem caloris motum feb. conſtitutionem, id eſt naturam, ac ideam vocat H pp. 1. Aph. 12.

Tertiò cognoſcitur morbus in genere quidem ex præſentia ſymptomatum, quæ ipſum, ut umbra corpus comitantur, ac præſertim ex ſenſibili læſione operationum, undè alia ſymptomata ſuccreſcunt: In ſpecie v. ex ſymptomatum diverſitate, & modo. Ad læſam actionem quod attinet incerta eſt ex ipſa morbi conjectura, niſi diſtinguas actionem læſam ob errorem externum ab ea quę morbum ſequitur, & propriè

priè symptoma dici meretur. Quod cognoscitur ex lęsionis modo: Nam morbus, cum permanens sit actionem semper lædit; ac eodem ferè modo causa cum ita constans non sit, majoremque recipiat mutationem, ac morbus, actionem ferè lædit per quædam intervalla. Præterea si externus error ad evidentes causas pertineat, erit conspicuus, moxque eo prægresso secuta est actionis læsio, interim absque manifestis signis alicujus morbi, à quo potuerit illa actio lædi: Si verò externus error spectet ad causas antecedentes, aderunt signa præcedentis fluxionis humoris, aut vaporis in partem, cujus actio læditur: Vel si causa sit corpus solidum, aut vivens (nam fiunt dolores ab agitato calculo, & à vermibus mordicantibus) aderunt signa istorum corporum, de quib. infra. Considerandũ porrò in actione lęsa, an sit abolita,

an imminuta, an depravata. Tum citò ne an sensim fiat, ac desinat. Operationes imminutæ, & abolitę, præsertim verò vitales, & naturales, aliquando etiam animales, morbos frigidos: Depravatæ calidos, ut plurimum consequuntur. Respiratio frequens, & magna, pulsusque similis, iracundia, temeritas, cor calidum arguunt, respiratio rara, parva, pulsus similis, timiditas, mœror cor frigidum: Ne tamen *hæc signa sola putes sufficere*, nisi cum *aliis* juncta capiantur. Imminuta sanguificatio in cachexia jecoris refrigerationem. Penè ablata in Ascite maximam refrigerationem indicat, Cruditas acida ventriculi frigiditatem, nidorosa caliditatem arguunt, si error externus absit. Potus inappetentia, frigiditatem, humiditatemve, inappetentia cibi caliditatem sæpe significat: Appetentia canina, & vaccina intensam

sam frigiditatem: Tarda concoctio nativi caloris ventris, partiumve circumstantium languorem: Imminutio principum facultatum cerebri frigiditatem, earundem detentio, ac sopor frigiditatem, & humiditatem: Desipientia caliditatem: A modo verò actionis læsæ repentina læsio sensus, & motus, principumque actionum, quæ citò desinat, ut evenit in Apoplexia, & Epilepsia, significat malum non provenire ab intemp. quia nec citò fit, nec citò desinit, sed ab angustia ventriculorum, à flatibus.

Excretorum substantia, & qualitas morbum quoque indicant, à quo pendent. Sic bilis abundantia calidam jecoris intemperiem. Atra, & adusta bilis calidissimam significat, si error externus absit. Vomitus pituitæ, ventriculi imbecillitatem. Abundantia muci, aut

salivæ acrioris cerebri caliditatem, & humiditatẽ. Fæces semper siccæ, aridæ, & subnigricantes. Jecoris calorem cum siccitate junctum: Vomitus fæcum angustiam tenuium intestinorum: Sudor colliquativus totius corporis caliditatem, & siccitatem: Pus effluens nunc paucum, nunc copiosum, & sanioſum fistulam: Urinæ rubræ splendentes, jecoris renumve caliditatem. Urinæ oleaginosæ, in*temp. calidam renum*, quem admodum & urinę copia longè excedens quantitatem assumpti potus, *ciborumque liquidorum*; Urinæ furfuraceæ scabiem Vesicæ. Eadem excrementa retenta interdum insinuant morbos, quorum causa retinentur. Retentio fæcum modò significat angustiam intestinorum, modò jecoris calorem, cujus causa exiccantur fæces, trahuntque longiorem moram in intestinis: Re-

tentio

tentio menstrui in muliere boni habitus, uteri angustiam: Retentio solitæ vacuationis per nares, ossis cribrosi obstructionem: Retentio sputi in tabidis extremam siccitatem calidique absumptionem.

Interqualitates mutatas significantes morbos numerantur sensibilia communia, & propria: Communia tamen ad essentialiter inhærentia referuntur, figura, numerus, & magnitudo; Ut in feb. hectica, si nares acutæ fiant, ungues aduncí, tempora collapsa, oculi concavi; ex figura tertii gradus hecticam significabunt: Ex propriis sensibilibus colores: Nam niger color totius corporis lienis arguit obstructionem: Citrinus vesicæ felleæ, aut pori ad duodenum tendentis: Facie pallor, cerebri frigidi, Genarum rubor in feb. acuta, pulmonis, vel cerebri inflammationem: Intensus rubor cutis Erisipelas: Oculi

micantes, & immobiles desipientiam : Rubor non adeò intensus, cui junctus sit calor, & dolor, phlegmonem: Linguæ nigredo feb. ardentem: Cutis albicans in parte tumida œdema; subnigricans, scyrrhum : Livida circum ulcus cancrum: supra os, cariem. Proximæ coloribus sunt tangibiles qualitates tum priniæ, tum quæ primas sequuntur, mollities. s. quam comitatur facilis compressio; Et durities, quæ semper adjunctam habet renitentiam, & aliquando etiam gravitatem, quando à repletione oritur. Insignis calor ferè continuus in volis manuum, ac plantis pedum, significat cal. jecoris intemperiem: Frigus extremorum in feb. continua, feb. ardentem, & malignam: Frigus perpetuum membri lividi sphacælum: Intensa siccitas, & ariditas faucium, feb. biliosam. Tumor digitis cedens, ita ut in parte com-

compressa fovea relinquatur œdema: Renitens sine dolore, scyrrhum: Cum dolore, inflammationem absente calore; Eo præsente, & feb. inflammationem: Renitentia, & durities hypochondriorum, obstructiones: Si accedat etiam ponderis sensus, tumores, vel sanè grandes obstructiones. Soni, & sapores non morbum, sed causam morbificam indicant. Odores interdum præbent aliquam morbi conjecturam, ut cum ex urinæ fœtore conjicimus renes, aut vesicam ulcere laborare: Ex sputo fœtido, & anhelitu graveolente ulceratos esse pulmones: Ex narium fœtore, Ozænam: Tandem non est spernenda similitudo ad morbi cognitionem, sive comparatio fiat ejusdem ad se ipsum, seu ad alterum. Novi Religiosum, qui circa Æquinoctium vernum quotannis in feb. incidit aspectu minimè mitem

cum desipientia, insigni cap. dolore, & urinarum turbatione, quæ tamen feb. trigiata summum horarum spatio terminatur. Ex quo id observavi, quoties postea in ipsum incidi eo tempore febrientem, collegi à simili cum Ephem. feb. detineri, neque unquam à primo ad ipsum ingressu falsus sum. Alium novi virum nob. qui quoties tertiana corripitur, statim tussi prehenditur, dolore lateris, spirandi difficultate. *Pleuriticum esse* jurares: *Tamen in feb.* declinatione omnia accidentia evanescunt, quo aliquoties observato, minimè mihi venit in mentem dubitare, an feb. in quam rursus inciderat Pleuræ inflammationem sequeretur. Comparatio cum parentibus, quia sunt simillimi nato magnam vim habet. Si cujuspiam Pater renũ doloribus vexari solitus ferè semper calculos excreverit, filius autem in

simi-

similes cruciatus incidat, magno est argumento à calculo in Ureteres excusso dolorem gigni.

Quomodo cognoscatur morbi magnitudo.

CAPUT V.

VErùm non sufficit morbi nosse speciem, nisi specificum gradum cognoscas, quem morbi magnitudinem vocant, quæ ad constituendam curationem morbi maximè confert. Cum verò morbus dupliciter magnus dicatur, absolutè, & respectivè. Quamvis non omnis magnitudo sit morbo essentialis, sed illa tantū, quæ dicitur magnitudo quoad essentiam, aliæ autem sint accidētales morbi differentiæ: De omnibus tamen hoc in loco agendum est, tum ob nominum affinitatem,

tum

tum ne inter signa prognostica harum magnitudinum diagnostica signa desiderentur. Morbus dicitur absolutè magnus triplicitèr, ratione essentiæ, ratione dignitatis, & ratione facultatis 4. Meth. c. 6 & 7. Meth c. 12. Magnitudo ratione essentiæ mensuratur penes recessum à naturali statu, quo equidem ignorato, ignorari quoque necesse est, quanta oporteat esse remedia: Magnitudo ratione dignitatis *spectatur ex præstantia partis læsæ*, si habeat *facultatem* totum gubernantem, aut actionem gubernanti servientem, velut est Ventric. ratione jecoris, organa respirationis ratione cordis. Magnitudo ratione facultatis à præstantia læsæ actionis, ac supervenientium sympt. magnitudine, vehementiaque æstimatur, quæ quidem morbum malignum mali moris, cacoethes constituunt. Magnitudo respectiva

atten-

attenditur penes remediorum materias, quibus morbus, morbique causa, vel difficillimè cedunt, vel omnino non cedunt.

Magnitudo ratione essentiæ cognoscetur primo ab essentialiter inhærentibus, si intemperies ad tactum valdè extensæ appareant, easque tales æger sentiat: Si mala conformatio sensu visus, aut tactus ingens etiam videatur, quod de ulcere, ac vulnere pariter intelligitur.

Secundò noscitur à causis prægressis: Multæ enim validæ, & diu agentes in corpus morbos magnos producunt, & à statu naturali valdè recedentes.

A juvantibus, & lædentibus: Nam si medicamenta generosa insigniter alterantia, & vacuantia non juvent, arguunt affectus magnitudinem cujus causa resistit remediis tam efficacibus; Si levia juvent

vent affectum parvum quo ad essentiam indicant. *A causis internis efficientibus* : nam insignis abundantia aut pravitas humorum magnas efficiunt corp. mutationes. *A causis dispositivis:* Nam quò minùs sexus, ætas, temper., & constitutio, vel membri, vel individui dispositiva sunt ad aliquem morbum, eò significant ipsum esse vehementiorem, si adveniat. Cum enim inter dissymbola transmutatio *sit difficilior, causas postulat* vehementiores, quarum efficacia, major fit recessus à naturali statu. E diverso quò magis est pars disposita, vel individuum ad morbum, eo & facilior fit transmutatio, & minorem recessum à naturali statu significat. Hanc ob causam feb. ardens in sene major est ratione essentiæ, quam feb. ardens in juvene: Ulcus in parte sicca majus est ulcere partis carnosæ. Destillatio

in

in juvene major est in juvene, quam in sene. Quod de causis internis disponentibus dictum est, externis quoq; congruit: Nam quò reddunt corpus minùs dispositum ad talem morbum, eò indicāt esse vehementiorem, si accidat; Ut si hyberno tempore oriatur feb. ardens. Hoc voluit Hipp. 2. Aph. 34. in morbis, (inquit) minus periclitantur, quorum naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori magis cōgruit morbus, quàm quibus secundum nihil istorum congruit. Inter causas dispositivas robur virium præcipuam vim obtinet, nam robustissimi homines morbificis causis validè resistentes vix unquam morbis parvis prehenduntur, quoniam vegeta natura leviores causas vincit: Unde videre est eos, qui toto vitæ tempore nunquam ægrotarunt à prima ægritudine plerunque vinci & enecari: Sic morbi vehemen-

hementiores fiunt vere, quam alio anni tempore, quia tunc nativus calor maximè fortis est ad expulsionem, & nonnisi à caussis multis validis, diuque agentibus enervatur. *Tertiò cognoscitur ab effectibus*: Nam quæ accidentia statim cum ipso morbo vehementia apparent ad quodcumque sympt. genus attineant, morbum magnum ratione essentiæ significant: supervenientia autem accidentia ostendunt *magnitudinem morbi ratione* facultatis, ut dicetur. Magnitudo morbi ratione dignitatis non indigit aliis signis, quam quæ indicant locum aff. præstantem publicamque actionem habentem, immò & publicum usum ad vitæ necessitatem. Unde si afficiantur lien; Uterus, Renes, Vetica, morbus fit magnus ratione dignitatis, quia sine excretione urinæ, cui dicata sunt renes, & vesica, & sine sanguinis defæca-

fæcatione, cui præest lien, incolumis vita diu servari non potest. Uterini morbi sunt magni ratione dignitatis, sive speciei propagationem, sive individui custodiam spectes, cum ex retento menstruo vita non rarò in discrimen adducatur: Eò autem censendus est morbus major ratione dignitatis, quò affecta pars ad tuendam vitam magis necessaria est: Unde primas sibi vendicat cor, deinde jecur, & ventricul. tum cerebrum, quod ad vitam simpliciter solùm concurrit, quatenus respiratio sine ipsius ope non fieret.

Magnitudo ratione facultatis plerunque sic latet, ut ob ejus ignorationem ægri intereant. Hanc dixi constituere morbum malignum, & mali moris, neque differre à cacoethia, quamquam Petrus Salius existimat in com. L. P. Hipp. de Morb. differre cacoëthiam à magni-

gnitudinis morbi. Inductus est fortasse à Gal. qui has morbi magnitudines proponens statuere videtur differentiam inter malignitatem, & vehementiam ratione facultatis. Nam 4. Meth c. 6. bifariã, inquit, omnia vitia gravia, & magna reddũtur, vel ob afflictæ partis præstantiam, vel ob affectus magnitudinem, vel quia sunt cacoethes. At 7. Meth. c. 12. sic loquitur (morbi magnitudo spectatur in præstantia *actionis lædæ, in propria affectus essentia*, & facultate totũ corpus gubernante.) Profectò cacoethes morbus dicitur, vel ratione supervenientium signorum, pravæ cruditatis, vel insignium sympt., differtque à lethali, quod iste mortem denotat, ille periculum: Unde Gal. 1. Prorhet. 14. Cacoethes, inquit, morbos. i. malignos appellamus, quicumq; periculum minantes salutis spem non adimunt, licèt mali-

maligni morbi tandem in lethales migrent, cum igitur morbis parvis, & debilibus graviſſima interdum præter omnium opinionem ſuperveniant accidentia, qua ratione inquit Gal. aliquando debiles, & parvas feb. valdè eſſe malignas: Cõcludit Salius aliud eſſe cacoethiam, aliud vehementiam morbi ratione facultatis, darique morbos, & malignos. Errare autem Salium, & utrobique *voluiſſe eandem* differentiam magnitudinis *morbi* proponere, ex eo colligitur, quia ſuperveniens accidentia gravia ſunt effectus præcipuè alicujus virtutis noſtri corporis valdè læſæ. Nihil ergò eſt opus cacoethiam, ſeu malignitatem à vehementia facultatis læſæ diſtinguere: unde licet verũ ſit dari morbos malignos quoad eſſentiam, vel dignitatem, nulli tamen maligni ſunt parvi ratione vehementiæ, ac magnitudinis læſæ facul-

facultatis. Cæterùm ut malignus morbus certiùs cognoscatur, sciendum est, non omnem morbum minantem periculum propriè dici malignum (nam feb. lentam, & diuturnam in sene, hecticam, apoplexiam nemo malignos affectus vocat) sed illum tantum in quo citra causam evidentem, & præter omnem spem, graviora supervenium accidentia quam postulare videatur morbi magnitudo, & causæ ipsius vehementia. *Idcò admodum malignæ sunt illæ feb.* in quibus licet calor sit mitis, illico concidunt vires, principes functiones perturbantur, & humores inquinantur. Unde licet omnis morbus malignus sit etiam vehemens ratione læsæ facultatis, est tamen morbus malignus, quædam veluti differentia morbi vehementis ratione facultatis, ac minùs latè patet, cum non omnis morbus vehemens ratio-

tione facultatis propriè sit malignus, sed ille tantùm, in quo gravissima accidentia mox supervenient, vi morbi, aut causæ morbificæ; Quod ideò addidit, ut à morbi maligni notione excludantur sævissima accidentia supervenientia, quæ partis affectæ acutum sensum consequuntur, aut vehementiam manifestæ qualitatis humorum, quis enim tertianam simplicẽ intermittentẽ in cujus augmento cardialgia excitetur propriè malignam febr. appellarit? Licèt huic accidenti proxima sit syncope? Quando morbi propriè maligni appellãtur, valdè putridam, aut venenatam alicujus humoris qualitatem comitẽ habere consueverunt, sive illa extrinsecùs corpori advenerit ab aere, cibis, venenis, sive intus sit nata ex varia corruptione. Hæ siquidem malignæ qualitates cum sint naturæ maximè omnium adversariæ, il-

lam vehementer laceſſunt, angunt, agitant, ut univerſas ipſius functiones longè magis perturbari neceſſe ſit, quàm ſi evidens aliqua, & ſenſibilis qualitas, cui non eſt tanta cum natura viventium repugnantia in ipſum ageret, & calorem naturalem exerceret. Ut igitur non confundatur, omnis morbus magnus ratione læſæ facultatis cum maligno iis ſignis diſtinguetis. *Primò ab eſſentialiter inhærentibus.* Nam ſunt aliqui morbi ex *ſua* natura *maligni, nimirũ carbunculus*, cancer, elephantiaſis, variolæ, peſtis, lues gallica, lues poloniça, ſcorbutus. Quicunq; verò nobiles partes, & maximè ſentientes morbi magni occupãt, fiunt etiam magni ratione læſæ facultatis, ut inflammationes internæ, affectus oris ventric., cordis, cerebri, jecoris, pulmonum, nervorum, tendonumq; punctiones. Vulnera muſculi temporalis, bici-

bicipitis, menyngum. Cereb. &c. Secundò à causis. Atque ad externas quod attinet, si aer inspiratus fætidus extiterit contaminatus cadaverum vaporibus mineralib9 exhalationib9, ac repentinis flatuum è terra eruptionib9, ut in Terræmotibus accidit, aut quovis alio modo putridus, & impurus, suspicio est morbi malign: Ita si diu indulserint pravis cibis, quã ob causam omnibus pravi succi eduliis censet abstinendum Gal. 2. de alimentorum facult. c. de cucumere, etiam si ea quibusdam cocta sint facilia. Nobis enim non advertentibus pravus succus ex ipsis post longum tempus in venis colligitur, qui postea exiguã ad putrescendum occasionem nactus malignas feb. accendit. Quantò facilius id accidet ex corruptis, & jam putridis cibis, quales in annonæ egestate plerunq; assumũtur. Præter cibi pravitatem disponun-

tur mirum in modum corpora ad excellentes putredines, & malignas succorum corruptiones ex convivationibus: Nam ut inquit Avic. 3. p. doct. 2. c. 2. nihil est deterius, quam diversa nutrientia simul adjungere, & in comedendo tempus prorogare, quòn ā prior cibus jam digeri incipit, cum postremus ingeritur. Ex varia autem diversorum alimētorum corruptione difformia gignuntur excrementa, quæ tanto deteriorem nanciscuntur putredinem, quanto longius absunt ab alimenti conditione. Fiunt & morbi maligni à putrida aquæ potu, nec-nō aquæ mercurialis, & venenorū, seu casu, seu electione, assumptione. Planè quæcunq; causæ externæ corpora præparant ad insignes putredines, ut luxus, otium, somnus immodicus, &c. aliquid conjecturæ præbent malignitatis supervenientis morbi. *A juvantibus, & læden-*

lædentibus : In morbis malignis nullum remedium magnopere prodeſt, niſi habeat vim alexipharmacam, quod ſi alexipharmaca juvent, ubi ratione evidētium qualitatum parum auxilii præſtare poſſent, ut decoctum ligni in quibusdā gallicis feb. theriaca in feb. malignis, & peſtilentibus certiſſimum eſt malignitatis argumentum. Si excretiones fiunt, quæcumque illæ ſint, quæ quantitate ſint conuenientes, neque eatenus dejicere vires poſſint, videanturq; repletioni reſpondere, interim verò vires dejiciant, vel certè non proſint, ſignum eſt naturam non tam humoris copia, quam peſſima ejusdem qualitate opprimi. *A cauſſis internis diſpoſitivis.* Corpora pinguia valdè humida denſioris habitus inſignes humorum corruptiones, & inde morbos malignos maximè omniū patiuntur. Ab efficientibus. Nam

corruptio sanguinis, seminis, vermium, menstrui, bilis atræ, & æruginosæ malignos morbos efficiunt, harum verò causarum signa suo loco proponentur.

Tertiò deducuntur signa, & quidem præcipua à symptomatis. *Ab actione læsa vitali.* Cum malignitas ad cor usque pervenit, quod maximè evenit in feb. malignis, statim languet vitalis facultas, spirituumq; maxima fit dissolutio: Qua causa *pulsus respectu caloris feb.* protinus acquirit improportionatam, ac insolitam parvitatem, languiditatem, quæ virium casum significant: Incredibilem inæqualitatem cum frequentia præsertim in systole. Quæ omnia si facta levi vacuatione à principio, vel medicamento, vel sanguinis missione non cessent, ac natura non sublevetur sed magis debilitetur longè certiùs malignã indicant qualitatem, quæ vitales spiri-

spiritus solvat. Ubi talibus facilis accidere solet animi defectio à levi occasione. Impedita respiratio semper significat morbum magnũ ratione læsæ facultatis: At respiratio laboriosa quibusdam suspiriis intercepta, parva, & frequens in feb. malignitatem, ut plurimum comitatur. *Ab actione naturali.* Solet præsente malignitate ita exsolvi nativus calor, ut exigua fiat alimenti in substantiam viventis mutatio. Itaque si statim ab initio major appareat corporis attenuatio, quam vel corporis dispositioni, vel causarum efficientium manifestè facultati conveniat evidens est malignitatis inditium. Repentina cibi abominatio, & carentia sitis cum intensa feb. linguæ nigritie, orisque, & faucium siccitate, si delirium absit, insignem malignitatem arguunt. Pariter in principio morbi sitis intensissima excedens caloris inten-

sionem, si absint signa bilis, aut pituitæ salsæ in Ventriculo nota est malignitatis. *Ab actione animali.* Ægrum adeò non sentire malum, ut se non ægrotare dicat, interim verò esse inquietum, mœstum, anxium, jactabundum, indicat, vel mentem esse læsam, vel calorem naturalem malitia humoris esse consopitum. Ineffabilis quidam angor, & cordis dolor sine causa manifesta, somni valdè *perturbati naturam non reficientes*, sed gravantes: Levis quidem, sed pertinax dolor cap. à principio magnis remediisnon cedens: Deliria citra insignem cap. calefactionem opportunis auxiliis reluctantia, motus quidam convulsivi partium extremarum, comatosa affectio cum murmure hypochondriorum, aut parvo tumore causa aures, visum, atq; auditum in feb. hebetatũ, caligare oculos statim ab initio rarò mali-

malignitatem nō significant. *A qualitate mutata.* Repentina, & maxima facici mutatio, præsertim extenuatio, & expallescētia, maculæ rubræ, sed maximè nigræ, aut lividæ (Græci exanthemata, vulgò petechias vocant) in pectore, dorso, & toto corpore apparētes: Manuum, ac pedum frigiditas à principio perseverans, aut postea adveniens feb. existente continua, sine causa modò horrere, modò incalescere; Dentium denigratio: Gravis quidam fœtor, & ut ita dixerim, cadaverosus ægri odor, à sensibilibus excretionibus non proveniens malignis feb. magna ex parte comitantur. *Ab excretis.* Excretiones bilis aruginosæ, atræ: Excretiones vermium, & maximè mortuorum in augmento, aut feb. statu, si vermes tempore sanitatis non sint ægro familiares: Magnæ vacuationes peccantis humoris sine juvamēto:

Stillæ sanguinis die critico, vel omnino initio morbi è naribus, utero, hæmorrhoidibus, excretiones quæcumque valde fætidæ, lacrymæ involuntariæ mordaces, & citò nascentes, pinguis alvi egestio, sputa liventia, urinæ turbidæ extra temporis declinationis cum malis signis, præterea nigræ lividæ, paucæ cum intenso rubore, valdè oleaginosæ: Sudor paucus frigidus circa frontem, & cervicem manans malignos morbos significat præsertim si plura in unum conveniant; inter quæ indiciis expulsu petitis primus locus est deferendus: Nihil enim satis tutum in præcipiti nimium casu, licet aliæ omnes abessent malignitatis notæ. Ad effectus morbi maligni referendi quoque nonnulli morbi qui illos consequuntur, ut exulceratio faucium, & parotides in febri mali moris. A simili noscitur malignitas, quando morbum similem popu-

populariter grassari, & plures eo interire observamus.

Signa postremæ magnitudinis, quam voco respectivam ab iisdem fontibus hauriuntur, de quibus inter prognostica opportunior erit sermo, cum idem sit cognoscere morbi diuturnitatem, & magnitudinem ratione remediorum, quibus nimium resistit.

Quomodo caussa morbifica cognoscatur.

CAPUT VI.

COgnita morbi specie, ac magnitudine convertenda est ad morbi caussam Medici solertia, quę quoniam multiplex esse posset, ne in causarum signis demonstrativis aliquid intactum prætermittatur, accuratè imprimis inquirendum, quarum caussarum dignotio

signis egeat, sitque ad curationem necessaria. Causas morbificas primò in externas, & internas dividunt: Externas ideo evidentes vocãt, quòd sensibus sint notæ: Cumque nihil sit notius nobis, quam quod sensu percipitur non videntur causæ externæ signis egere: Nam præsentes quidem in sensus incurrunt, præteritæ verò ex ægri, & astãtium relatione interrogationeque certè innotescunt. Quia tamen *multùm interest ad sustentandam* Medicæ artis famam, ægrique conciliandam sibi fidem posse de præteritis divinare, ægro cum accidentibus tacente non spernenda sunt signa, quæ præteritas externas causas indicent. Sed & præsentes interdum indigent signis ex accidenti, quatenus internæ fiunt, ut instrumenta vulnerantia, aut cõtundentia, quæ in vulnerata parte remanent, quæcunque inter labia vulneris

neris incidunt, ejusque impediunt agglutinationem, excrementa naturalia quæcunque retenta: Aer pestilens inspiratus, qui per arterias dispergitur: Venena quæcunque assumpta in corpore permanentia, quorum ut maxima est copia, ita varii effectus, & difficiles conjecturæ, denique omnia assumpta, quæ nullam à nativo calore mutationem recipiunt, venefica tamen non sunt, uti acini uvarum, nuclei cerasorum, argilla, carbones, & similia multa, quæ in pica, & malacia alteri loco ingeruntur. Quin & medicamenta nonnulla fiunt aliquando causę internę, quę ut tales, sunt sensib. inconspicuæ, veluti aquæ thermales potæ, cum vel omnino detinentur, vel maxima ex parte. Ex internis aliæ obtinent rationem causæ efficientis per se, aliæ efficientis per accidens. Causæ per accidens, vel sunt naturales, vel præter

naturam. Præter naturam sunt tum morbi, qui aliquando fiunt causæ aliorum morborum, ut intemperies calida ventris, quæ vicinum jecur in consensum trahit; tùm symptomata, quæ ad eam vehementiam deveniunt, ut vel augeant morbum, foveantve, vel vires prosternant, quæ quidem ad actionem læsam, & immodicam excretionem attinent. Ex qualitatibus enim mutatis nulla *rationem causæ unquam induit. Inter* actiones læsas numerantur dolor vehemens cujuscunque partis, & præcipuè cardialgia, item vigiliæ, delirium, animi deliquium. Inter excretiones obtinent rationem causæ quæcumque moderationem excedunt quacunque ex parte fiant, aut sanè naturæ fini omninò inconveniunt, ut chyli, aut cibi nondum confecti dejectiones, ac vomitiones. Hæc symptomata signis, vel ma-

maximè indigent, ut à seipsis distinguantur quatenus sunt causæ, cum id plurimum interfit ad salutem ægrotantis. Naturales v. causæ morborum per accidens sunt nativæ corporum constitutiones, (quas dispositivas causas sæpe appellavi) ad similaria, & dissimilaria membra attinentes, quæ ipsa ad certos morbos disponunt, aut fanè jam factos fovent, quales sunt naturalis densitas cutis respectu internæ putredinis, virium imbecillitas respectu morbi materialis, cujus causam consumere, & expellere languidus calor nequit. Harum quoq; causarum signa, tùm ad præservationem, tùm curationem ita sunt necessaria, ut naturali constitutione corporis ignorata nihil medica arte dignum præstari possit. Ad naturalem dispositionem corporis reducere lubet hæreditarios caracteres, qui ad longum tempus latent absque

que sensibili operationum noxa, & temporis decursu in actum deducuntur, quorum cognitio ad retardandos, ac omnino avertendos morbos apprimè convenit. Caussæ internæ per se efficientes sunt humores, & quæcunque ex ipsis orta morbos creant. Oriuntur autem ex humoribus vermes, calculi, flatus, venena, & solidæ partes, quę interdum morbos per se faciunt, ut caro in meatu urinario excrescens, *mortuus, & corruptus fœtus* in Utero, &c.

Ab iis causis cum lędatur corpus, quatuor modis peccant, vel substantia, vel quantitate, vel qualitate, vel motu, & singulis vitiis propriè accommodentur indicationes opus est signis hæc vitia indicantibus. Ad vitium substantiæ spectant quæcunque sunt putrida, aut toto genere præter naturam, ut venena, calculus, vermes, materiæ in abscessibus

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-169830-p1018-2 DFG

sibus contentæ, vapores. Ad vitium quantitatis pertinet tamen plenitudo quo ad vasa, & quoad vires, tum cacochymia, quæ ex humorum non alimentariorum redundantia pendet. Ad vitium qualitatis reducuntur omnes excrementorum differentiæ, vitium verò in motu potissimum attinet ad fluxionem. Harum omnium caussarum signa proponentur eo ordine, quo inventæ sunt causæ (ad evitandam resolutionem) initio sumpto à causis, quæ præterierunt, externis.

De dignotione caussæ præteritæ externæ.

CAPUT VII.

CAussæ externæ præteritæ ut cognoscantur, diligenter attendendum est ad vitæ studium, consuetudinem ægri, conditionem re-

regionis, & prægressas cœli constitutiones: Nam ex caussæ inditium exhibent perspicaci Medico causarum internarum, quæ præsentem morbum efficiunt. Quòd sanè inditium firmiùs evadit consideratis effectibus causarum præteritarum, & examinata cujusq; causæ efficacia. Sic ergo noscemus morbum ab aere factum primò ab effectibus, nam morbi ab aere accidere solent pluribus, ac præsertim his membris, cerebro, cordi, habitui corporis, & si aeris qualitates sint intensæ nervis, & articulis, quæ situm habent non admodum profundum. Aer calidissimus caput inflammando dolores, & vigilias facit, & ephemeram, aut synochum sine putredine, in qua cutis apparet sicca, & squallida, calor primo occursu vigens, deinde mitescens, caput velut aduritur, oculique rubescunt; Quòd si ægrum noverimus sub

sub radiis solaribus morari consueviſſe, aut meridianis deambulationibus per loca soli expoſita delectari ab aere malum proficiſci aſſeremus. Si aer calidus, & humidus, qualis eſt in conſtitutione auſtrina cap. gravitatem, deſtillationem, ac inde etiam feb. effecerit, cognoſcetur ideo quia poſt talem conſtitutionem ſtatim ſecutum eſt malum, æger caput habet natura humidius, & ad talem offenſam pronum, deſtillatio eſt tenuis, oculi apparent ſubtumidi, & fortaſſe tale malum populare eſt; Si aer frigidior ephem. fecerit ex cutis denſatione, noſcitur à cauſſis, quia patiens conſuevit corpus excalfactum exponere aeri frigidiori: *Ab effectibus* quia levis aliquis rigor percipitur, ſudor diutius cohibetur, calor difficiliùs, & tardiùs per totum corpus expanditur, neque apparet in principio halituoſus. Sit Miles, aut

Nun-

Nuncius, cui artus obtorpescant, absque evidentibus signis destillationis ad partes nervosas, talem sub Dio pernoctasse præsertim frigidiori tempore, vel per loca gelida, & nivosa, aut frigida, & pluviosa tempestate iter longum feciisse asseremus. Occurrat pauper in annonæ penuria alioqui boni habitus, sæpe animo deficiens sine causa manifesta, quis non statim conjiciat ipsum longam inediam sustinuisse? Si quis admodum studiosus de *ventriculi* queratur imbecillitate, qui in delirium cum studio incidat, squallētibus oculis, siccis naribus, contracta fronte, ex vigilis malum prodire asseremus. Præcedens immoderatus somnus cognoscitur ex vita otiosa, nullis curis impedita, oculorum tumore, vultus pallore, palpebrarum crassitie, cap. gravitate. Si nimius, & violentus motus præcessit adest lassitudo cum quo-

quodam articulorum calore, qui per quietem mox sedatur. Intempestivus motus colligitur ex vitæ studio, murmure hypochondriorum, & alvi suppressione. Adde tegendas animi perturbationes multum refert eorum nosse conditionem, quibus cum æger conversatur, & rerum circumstantias diligenter intueri. Sic Galenus servum cursorem, cui genu hero peregrè profecturo intumuerat ex apposita in bithapsia, detexit amore Dominæ compulsum talem finxisse morbum, ut domi remaneret: Et Erasistratus, cum filii Regis Antiochi pulsum præsente noverca miris inæqualitatibus agitari animadverteret, ipsum novercam suam deperire, & ex amore tabescere cognovit. Galenus certè rerum præteritarum prænunciatione omnibus tacentibus celebrem sibi apud Romanos laudem comparavit. Ut cum Ceril-

rillum Boethi filium alio, quam jussus fuerat à Medicis, cibo usum fuisse vaticinatus est: Et divitem illum arrogantem Medicorum, ac Medicamentorum contemptorem, negantem se medicamentum accepisse mendacii coram convicit, signo ex pulsibus accepto: Venenorum assumptorum cum plurima sint genera, & effectus varii non posset certum aliquod inditium scribi, præsertim quia idem specie venenum pro varia *passi* dispositione *varia* solet, & propemodum dissimilia inferre accidentia, præcipua tamen sumpti veneni, & maximè communia signa sunt, angor, cibi abominatio, pulsus parvitas, & languiditas non apparentibus interim indiciis alterius causæ manifestæ, à qua potuerunt tanta symptomata produci, quæ certè idoneis medicamentis manifesta qualitate agentibus non sublevantur,

tur, sed augentur potiùs, remittuntur autem protinus ab alexipharmacis; nisi venenum altas jam egerit radices.

De particularium venenorum notis legatur Sanctus Arduinus, qui omnium copiosissimè in hoc argumento versatur.

Causæ externæ præsentes, quæ internæ evadunt, si sint instrumenta vulnerantia, quæ in læsa parte remaneant vel ipso styli contactu dignoscuntur, si visum lateant, vel vulneris magnitudine: Ut si quis sclopetto ictus vulnus habeat ex alia parte exitum non habens licet glans tangi non possit, relicta esse tamen in vulnere censetur. Aeris pestilentis, & putridi hæc signa proponuntur. A causis prægressis multi, & validi terræmotus, multorum cadaverum corruptiones, maligna syderum, & perseverans constellatio, maximè luminaribus

ribus defunctum patientibus. *Ab effectibus*, repentina exitia Animalium præcipuè humi præstulantium: febres pestiferæ grassantes, etiam in eos, qui montosa loca incolunt, temperanter vivunt, & ab omni ægrotorum commercio abstinent.

Porrò si panis recens cœlo sereno aeri exponatur mox situm contrahit, caro rubeum colorem deponit, adeps albedinem in pallorem flavitiei proximum. Excrementa naturalia, *quæ cuivis homini sano conveniunt*, & necessario excernuntur, si sanitas integra esse debet sunt alvi fæces, excrementum tertiæ coctionis, tum crassum, quod cuticulæ adhæret, tum tenue, quod evaporat: Præterea bilis, quæ ad fæcum egestionem ad intestina transmittitur, nec non urinæ, & narium mucus, auriumque sordes, quæ cum retinentur fiunt morborum causæ internæ,

næ, & eatenus sensus interdum latent.

Fæces naturales alvi retentæ, vel inde cognoscentur, morbum facere, quòd longè diutiùs retentæ fuerint, quàm præterita ferat consuetudo, unde ventris pondus persentitur, & in eo durities, maximè in regione crassorum intestinorum, adestque ventris dolor, sæpe etiam cap.

Urina retenta morbos efficit, quales ab aliis caussis crebrò producuntur: Nam si cavitatem abdominis petat, facit tumorem vero hydropi similem, si in venis reservata putrescat, excitat lentam, & quotidianæ affinem. Si ad ambitum corporis feratur, molestos ciet sudores, quales ab ichoribus, & tenui pituita fiunt. Signis ergo est opus, ut cognoscamus, quando urina retenta hæc mala procreat, præsertim cum minimè sit ne-

ceſſarium ipſam penitus retineri, ut dicta damna inferat. Urinæ collectio in abdomine hydropem infert: noſcitur (*Abeſſentialiter inhærentibus*) quia lotium in minori copia redditur, quam pro naturali conſuetudine, & humidi victus ratione. *Abeffectibus*, quia nulla circa veſicam tenſio, ac dolor percipitur, corpus non pallet, artus non intumeſcunt, nec apparet jecur ullaex parte labefactatum. *A cauſsis*, quia diuretica, aut copioſi ſudores malum auferunt nulla facta mutatione in jecoris temperie. Si Urina in venis putreſcat præter ſigna jam propoſita excitatur febris lenta, continua ſine typo, in qua ſudores copioſi in omni febr. tempore erumpunt, præſertim circa partes inferiores, & grave aliquid redolent. Bilis, quæ naturaliter ad inteſtina fertur cohibita noſcitur ex ventris adſtrictione, fæcum colore ni-

nihil flavum præ se ferente, facili dejectione aut medicamentis, aut cibi acris, falsi, aut amari sumptione; denique à caussis, quæ obstructionem parere potuerint præteritis. Cereb i naturalia excrementa, si diu cohibita fuerint, ac præcipuè si tempore sanitatis copiosè fluere consueverint, & cap. malè temperati absint indicia morbum facere putanda sunt. Uvarum acini, nuclei, carbones, & similia, quæ vinci à calore naturali nequeunt, cognoscuntur, quia quæ ob duritiem, nec à dentibus, nec à ventriculo comminuuntur alvi stypticitatem pertinacem faciunt, reliqua autem nauseam & cibi ingens fastidium, seu abominationem. Ad hæc ipsorum assumptio ex ægri relatione innotescet, ac si excrementa considerentur aliquid simile continere videbuntur. A quæ thermales cohibitæ signis non egent, quoniam ex

urina pauca pro aquę sumptę copia eo spatio reddita, quo tota aqua effluere consuevit horis nim. sexdecim plùs minùs noscitur, maximè si neque sudores, nec aquosæ alvi dejectiones apparuerint, & venter turgere sentiatur.

Inter internas causas per accidens morbi quidem rationem causæ habentes iisdem notis cognoscuntur, quibus innotescunt ut morbi sunt: ymptomata verò rationem *causæ habentia facilè* dignoscuntur. Dolor immodicus noscitur à propria magnitudine, quam æger percipit si mente constet, pars affecta est acerrimo sensu prædita, præcesserunt causæ violenter agentes, ut frangentes, contundentes, aut tales adhuc perseverant, mox excitantur fluxiones, vigiliæ, sæpe etiam febres, vires debilitantur & imprimis vitales, unde pulsus fiunt celeres, parvi languidi. Vigiliæ

liæ quæcunq; immodicæ rationem causæ obtinent, nec alio signo egent, sicuti nec delirium, aut lipothymia, vel syncope. Excretiones tunc habent rationem causę, quando vires franguntur, sive excretio sit copia maxima sive moderata: Præterea cum vires paulò pòst necessariò debilitantur; licèt in principio vacuationis constent, ut cum excernitur chylus, aut cibus nondum laboratus à ventriculo: Denique cum excernitur sanguis per locum, quò natura rectè operans nunquam vergit, ut in sanguinis vomitu, & sputo ex thorace, nam sanguis grumescens in ventriculo, & putrescens in pulmone lethales affectus excitare potest. Quæcunque excretiones iis conditionibus carent intra symptomatum fines comprehunduntur, nilque indicant.

Ad causas internas, & naturales

les quod attinet, si de caussis dispositivis sermo sit, petenda sunt ipsarum signa ex Galeno lib. art. Med. ubi docet totius corporis, & singularum partium temperies, hic exempla quædam proponemus quibus distinguentur causæ naturales, quando morbificæ evadunt, & sui postulant ablationem. Gratia exempli, in dolore vehementi, à quo imminet animi deliquium, cerebri temperies fit per accidens causa morbifica, *quia objectum* molestum ejus merito dijudicatur, unde stupefacientia postulat. Magnitudo cutis, ejusque naturalis unitas fit morbi causa, cum pus sub ipsa continetur, ideoque eadem signa indicant pus sub cute collectum, & magnitudinem naturalem cutis, ut est causa morbi; situs naturalis venæ in ulceris fundo causa evadit fluxonis, soloque visu, & tactu cognoscitur. Sic plenitudo

na-

natura'is boni succi fit morbi causa cum in feb. ardente necessariam impedit transpirationem. Naturalis virium imbecillitas, quæ in calidi innati penuria consistit, noscitur ex corporis vel gracilitate, vel nimia pinguedine, ætate inclinante, mala dispositione ventriculi, jecoris, cordis : Hæreditariæ verò morbificæ dispositiones, priusquã in actum exeant, alia conjecturã colligi nequeunt, quàm si cujus piã progenitores aliquo habituali morbo laborasse constet, & fratres, ac sorores iisdem pœnè affectibus subjici, qui remediis ex arte administratis non ita cedant, quin aliquanto post repullulent.

Sequuntur causæ internæ efficientes per se, quæ in quotidiano usu occurrunt, & maximam morborum partem creant. Ac vermium quidem, & calculi signa à practicis petantur in propriis tractatibus,

veluti excrescentiæ carnis sive in meatu urinario, sive in alio loco, nec non fœtus mortui, & putrescentis: De humoribus tantum, & inde genitis vaporibus, hic sermo est, quorum signa expositis fontibus sic hauriuntur. Vapor in genere primo noscitur à causis materialibus prægressis scilicet alimentis, aut medicamentis flatulentis: Nec non à causis efficientibus caloris nimirum imbecillitate *præsente, aut sanè ejusdem* vehementia, dummodo adsint indicia præsentis humoris copiosi, & crassi. Præterea à causis juvantibus: si discutientia sumpta, aut applicata malum levent. Secundò noscitur ab effectibus, qui partim sunt morbi, partim symptomata. Morbi sunt quæcunque inflationes, sive tumores renitentes cum dolore post digitorum compressionem mox resurgentes sine sensu ponderis

ris modò elatiores, modò depressiores.

Symptomata sunt cujuscunque partis palpitatio, pandiculatio, oscitatio, aurium tinnitus, vertigines, imagines ante oculos, epilepsia, catalepsis: Nam hos affectus, qui citò fiunt, & citò desinunt à flatibus fieri omnes confitentur; Huc pertinent turbulenta insomnia, crebri ructus, ventris murmura, & rugitus, crepitus, sonitus, excretiones humorum cum quodam strepitu. Adde dolores vagos, & inconstantes præsertim si magna celeritate modò unam, modò aliam corporis partem occupent, neque in ulla firmentur; Secùs ac evenit in doloribus à materia turgente, & abuno fonte ad varias corporis regiones decumbentes provenientibus. Vaporis verò speciem non ante noveris, quàm ejus mineram, quæ non est solum hu-

mor, sed quæcumque res evaporans, ut chylus, potus, semen, lac, fœtus, & vermes putrescentes. Humor in genere cognoscitur maximè ab effectibus, nam plurimi morbi ejus sunt naturæ, ut nonnisi ab humoribus fieri possint, quos ideo materiales vocant; Præterea si humor in toto redundet, adest gravitas, & lassitudo corporis; si in determinata parte, adest in ipsa sensus ponderis: Denique humorum effectus constantiores sunt, quam flatulenti, neq; mutationes subeunt tàm repentinas. In specie verò qualis humor redundet, aliis etiam signis cognoscitur: Et quia simul cognoscimus redundantem humorem, & humoris conditionem simul, proponenda sunt signa quantitatem, & qualitatem humorum indicantia.

Sanguis redundans, seu plenitudinem faciens quo ad vasa, vel quo

ad

ad vires noscitur primò à caussis externis, aere, regione, cœli statu, anni tempore, vel temperatis, vel ad calidum, & humidum modicè vergentibus: Victu pleno, & boni succi, cui longo tempore indulserit, vita sedentaria, suppressa aliqua naturali, & consueta sanguinis vacuatione per nares, uterum, hæmorrhoides. *A caussis juvantibus*, si sanguinis, vel arte, vel à natura liberalis facta vacuatio, aut restauret vires, quæ oppressæ videbantur, ut in plenitudine quoad vires, aut certè non frangat. *A caussis efficientibus proximis, & remotis*: si jecur sit temperatum vel in caliditate, & humiditate notabiliter non excedat, si ventriculus probè sit constitutus, adeo ut chylum pituitosum non conficiat: Quò pertinet ætas adolescentiæ, & pueritiæ, scilicet passio calidi, & humidi temper. à quo plurimus sanguis producitur.

Secundò noſcitur ab efficientibus, tum præter naturam qui ſunt morbi, & ſymptomata, tùm ſecundùm naturam, qui ſunt naturales corporis paſſiones, & accidentia. Synochus putrida inter morbos ſignificat peccare ſanguinem, quia eſt ejus cauſa, quemadmodum, & phlegmone, ſive exquiſita, ſive mixta, quales fiunt in Phrenit. pleur. & Angina: Unde ſanguineum dicere licebit, qui iis malis crebrò fuerit *obnoxius*. *Symptomata* indicantia ſanguinem ſunt, delirium cum riſu, rubra ſpectra ante oculos obverſantia, laſſitudo inflammatoria, dolor tenſivus cum ſenſu caloris, & ponderis, necnon rubore partis, in qua ſanguis putreſcit. Naturales corporis paſſiones ſanguinis dominium ſequentes ſunt proba nutritio, quæ facit corpus carnoſum, & boni habitus, mores ad gaudiũ, & hilaritatem proni: Cutis

cum

cum rubore albicans ; Venarum magnitudo, & tensio : Insomnia læta : Ingenium facile ; Pulchritudo corporis. Si sanguis qualitate peccet, quia id evenit vel mixtione alicujus excrementi, vel alteratione facta ab assumptis, aut jecore, præter signa subdominium alicujus excrementi indicantia abundè cognoscetur ex assumptis, aut cibis, aut medicamentis puta acrioribus, *calidioribus*, &c. aut ex iis, quę jecur frigidius, *calidius* arguere valent.

Pituita in genere cognoscitur primo à causis externis, vel adhuc perseverantibus, vel paulò ante præteritis, aere, tempestate, regione, anni tempore frigidiori, cibis frigidis, & humidis consuetis, vel intemperantia in ciborum etiam proborum varietate, quantitate intempesti vis edendi horis, priori cibo nondum cocto, nimio aquæ po-

tu, aut cujuscumque rei gelidæ, ut vina nive perfrigerata æstate bibi solent, item ex diuturno usu medicamentorum valdè refrigerantium, quæ ventriculi calorem debilitare potuerint, somno immoderato, intempestivo motu à cibo, assiduo otio, nimio Veneris usu. A caussis efficientibus internis, si ventriculi, jecoris, aut cerebri calor languidior etiam appareat. A caussis foventibus, & multiplicantibus, si suppressa sit consueta pituitosi humoris excretio per os, nares, vomitum, secessum, uterum, fonticulum, fistulam. A caussis juvantibus, si calida juvent, item phlegmagoga, ac omnino ad pituitæ excretiones degravari corpus videatur; A caussis dispositivis, si à nativa constitutione viscerum calor langueat, ætas sit declinans (quamquam, & pueri ob ingluviem pituita scatent, & sexus muliebris.) Secun-

candò noscitur ab effectibus M. S. pituit. symptomatis, & naturalibus accidentibus, quæ à dominante pituita corpori, animoque adveniunt. Itaque anasarca, cachexia, œdema, febris quotidiana significant pituitam, à qua pendent, veluti, & consuetudo hujusmodi morbo laborādi. Morbi quoq; diuturnitas, atq; parvitas pituitam arguunt, nisi adsint evidentissima melancholici humoris indicia. Symptomata pituitam consequentia latè patent, ut sunt coma soporiferū, caros, lethargus, catarrhus, asthma, stupor, amentia, memoriæ læsio, nausea, inappetentia potus, dolores gravativi, frequentes pituitæ excretiones per os, nares, sputum, vomitū, uterum, decoloratio corporis, extremorum tumor, & summa ad omnes actiones inertia. Accidentia, secundùm naturam pituitosi hominis, sunt habitus à natura

pin-

pinguior, mollis, laxus, albicans, tarditas ad motum, propensio in somnum, longi, profundiq; somni, rariſſima inſomnia, aut ſanè inſomnia natationum, piſcationum, tardior pilorum ortus, paucorum, tenuium, rectorum, ſubalbicantium, facilis tolerantia famis, cum minimo virium detrimento, venarum exilitas, urinæ albæ, & decolores, pulſus parvi, tardi, rari, molles, ſed minus quam in morbis pituitoſis, denique mores placidi, ad miſericordiam, fletum, & timorem proni. Tertiò noſcitur ab eſſentialiter inhærentibus ipſi pituitæ, quæ ſunt naturalia ejus accidentia ſenſibus ſæpe obvia. Sic albicantes evacuationes dicimus etiam pituitam, & corpus ad tactum frigidius pituita abundare: Qualis verò ſit pituita tenuis, an craſſa, inſipida, acida, an ſalſa, iisdem mediis innoteſcet: ab eſſentialiter inhærentibus, quia in

ex-

excretionibus, visu ipso, & baculi ope crassam, & viscidam à tenui discriminat, ac si per os, sapor quoque percipitur. *A causis*, nam pituita acida fit à caussis vehementiùs refrigerantibus, quàm dulcis, ac insipida. Quod si cum pituita abundare bilem flavam, si pituitam, aut putredine, aut quovis alio modo notabiliter incaluisse cognoverimus, salsam esse redditam cognoverimus: *In quo statu nescias ab initio facilè judicium ferre, quæ magis noceant, aut juvent*, nam frigida pituitæ salsedinem tollunt, crassitiem augent, calida mordacitatem acuunt, crassitiem attenuant. Ab effectibus nam à pituita acida, & salsa dolores acuti fiunt, à dulci, & insipida remissiores. Pituita salsa in exitu est mordax, ulcerat, pruritum facit, & sitim, quæ abstergentibus magis cedit, quam refrigerantibus. Acida primò caninam, mox vacci-

nam

nam famem excitat. A crassa pituita affectus fit pertinacior, quàm à tenui, quæ & repentinas movet fluxiones, etiam ad longinquas partes, & citò dissolvitur. Si bilis redundet, præcesserunt, aut adsunt causæ corpus calefacientes; Externæ quidem aer calidus & siccus, multus aromatum, & vini generosi usus, nec non medicamentorum valde calefacientium, ut sunt balnea sulphurata, theriaca, aqua vitæ, decoctum Guajaci, addo & venena, ut morsum viperæ, luem gallicam, &c. Præterea prægressa inedia, assiduæ vigiliæ, validi corporis motus, nec non frequens excandescētia. Internæ verò efficientes proximæ, & remotæ, tum jecur calidius, siccius que, tum ætas juvenilis. Fovent es, ac multiplicantes, si cohibita sit consueta bilis vacuatio, si fellea vesicula vel nequeat sanguinem repurgare à superflua bile,

bile, vel receptam bilem deponere ad intestina stimulandæ expultricis ergò. Tunc enim licèt minimum bilis generetur, temporis tamen decursu plurima cumulatur in venis etiam in pituitoso homine, quod est diligenter observandum. Ac propositæ causæ siquidem intensæ fuerint, ac diu perstiterint bilem atram, & adustam significant, sin minus flavam. Ad bilis effectus quod attinet, inter morbos censentur *Erysipelas*, *herpes*, Feb. de tertio in tertium invadens, febr. ardens exquisita, & in genere morbi vehementes, & valdè acuti maxima ex parte bilem significant. Symptomata sunt vomitus bilioſi, & similes diarrhœæ, frequens hæmorragia, menstrua anticipantia, & immoderata, rigores crebri, vigiliæ, desipientia cum furore, dolores acutissimi, mordicativi, pungitivi, ulcerativi, lancinantes,

tes, erodentes, spectra ignita, ac scintillę antecoculos sępè obversantes, aurium sibilus in hoc à tinnitu differens, quòd sibilus est acutissimus quidam sonus, qualis serpentum vox, at tinnitus est quilibet alius gravior sonitus intra aurem excitus. Adde sitim, linguæ aridatem, & nigritiem, oris amarorem, flavitiem corporis, pullus celeritatem, & crebritatem, calorem intensum partis affectæ, sudores acres, & *mordaces, urinas* croceas, intensè rubras, admodum splendentes. Naturalia accidentia bilioſi corporis etiam extra statum ægritudinis sunt corporis gracilitas, venarum amplitudo, hispida hypochondria, cutis squallida, sitis frequens, matutino tempore oris amaritudo, somni breves, insomnia circa cædes, ignem, aliaque iis affinia, motus corporis concitatus, ingenium velox & acutum, urinæ citrinæ,

trinæ, & splendentes, mores ad iram, audaciam, ac temeritatem comparati, pulsus celeres magni, & minimè molles. Ab essentialiter inhærentibus, si contingat bilem excerni omnium certissimè cognoscetur. Nam humor flavus, citrinus, qui vitello similis, amarus, acris bilem denotat, quod si cum flavitie nigricet, & quendam præseferat splendorem, atram, & æruginosam bilem significat.

Melancholici verò recrementi proventum arguunt, caussæ quidem externæ, aer frigidus siccus, qualis est autumnalis, alimenta terrestris, & crassi succi, qualia sunt caro bubula, salita, legaria, & hujusmodi, curæ mordaces, & perseverans tristitia. Internæ & dispositivæ caussæ sunt jecur retortidum, lienis imbecillitas, tunc enim melancholicum recrementum affluit per synathrismum, & collectionem,

nem, dum splen suo superſedet officio, ætas consistens. Causſæ fouentes, & multiplicantes in viris sunt consuetæ hæmorrhoides suppreſſæ, in mulieribus etiam menſtrua purgamenta, nam sanguis detentus aſſatur, & in atram degenerat bilem. Ad melancholici humoris effectus, quòd attinet, febres quartanæ emergunt, melancholiæ, seu atræbiles, impetigines, scyrrhoſæ affectiones, Arquati nigri, tertianæ *nothæ minoris famæ*, ut ait Arabum princeps Avicennas. Cancri nonnunquam in mulieribus, mammas inoccupant, quos si eximere ſtuderis, renaſcuntur in utero, in viris sæpius naſum exedunt, & faciem totam populantur. Dolores oſthocopi, excreta ſive per vomitum, ſive per alvum nigricantia. His adde corpus livore quodam luridum, numeroſa pilorum ſegete ſcatens, gracillimum,

in-

interim tamen nervosum. Sudor plurimus adest, pediculi nonnunquam infestant, olet anima, labra finduntur, somnia perturbantur, visis horrendis mortuorum, dæmonum malorum, cœdium, solitudo deligitur, & diligitur, tristium consuetudo placet, & arridet juxtà illud Horatianum:

Oderunt hilarem tristes, tristemque jocosi.

Quid quæris? Tristitiæ species omnis floreſcit in ore.

Serosi verò excrementi copiam significant causſæ quidem externę, uvidior aer, vinum, vel aqua affluentiùs epota, usus fructuum horariorum, aut etiam leguminum. *Causſæ* internæ fovventes, & ingeminantes serum excrementum sunt sudores compressi, renum imbecillitas, unde serum non attrahitur. *Causſæ* dispositivæ sunt jecoris imbecillitas, & atonia ex frigida, hu-

humidaque intemperie. Inter effectus censentur potissimum hydrocephali, hydrocele, Ascites, & cæteri tumores aquei, ptyalismi, urinæ profluvium, sudor copiosior, hydroa &c. Corpus subsqualli dum, & albicans, facies potissimum pallescit, pedes tumescunt.

Purulentæ urinæ cognoscuntur, primo à caussis, si præcesserint, renes aut vesicam ulcerantia, ut cantharides, & asperi calculi excreti, aut *præcesserit apostema alicujus partis, quæ possit* per urinam expurgari, aut etiam sanguinis mictio; nam sanguis grumescens in vesica adveniente putrefactione in pus vertitur. Secundò ab effectibus, si adsit febris, dolor mordicativus in vesica, aut gravis circa lumbos, isque continuus. Tertiò ab essentialiter inhærentibus, nam excretio graviùs olet, quàm naturalis urina, aut aliis excrementis mi-

mixta, & minor esse solet puris copia, quàm pituitæ: Illud ad cinereum magis vergit, ista magis albicat, illud ponderosius est, ac matulæ imum statim petit, ista ob permixtos flatus non tam citò subsidet: Denique pus si matula agitetur, divellitur à se invicem, & disgregatur, neque sic adhærescit, ut pituita.

Sputum purulentum, ut cognoscatur, possitq; incipiens phtisis dist ngui à f. b. catarrhali orta propter putredinē pituitæ crassæ, quæ tussicula rejicitur, cōsideranda sunt naturalia puris accidentia, quæ in sputis visuntur, & quatuor connumerantur. Primum est gravitas, cujus causa pus illico fundum petit. Pituita minimè, si utrumque in vas aqua calida plenum conjiciatur. Secundum est, quod pus injectum prunis fœdum odorem spirat, pituita putrida nō tantum. Tertium,

quod pus est cineritium, pituita magis albicat. Quartum, quod pus si bacillo dividatur, partes ab se invicem facilè abscedunt, & in fundo vasis iterum coeunt: At pituita neque patitur se dividi ob lentorem, nec divisa amplius coit. Exiis signis quartum est omnium certissimum, reliqua sola me judice, incerta sunt. Primum quidem, quia pituita aliquando sic aduritur, ut deposita flatuositate sta[illegible]m fundum petat. *Secundum*, [illegible] *nec pituita* est semper expers od[illegible]i, nec pus semper graveolens, nam p[illegible]ita insigniter corrupta fœtidum exhalat, pus autem probè coctum minimè, ut colligitur ex Gal. 1. de Diff. feb. 8. & 2. Aph. 47. ubi pus reponit medium inter sanguinem probè elaboratum & vitiatum, cum graveolenti putredine; Tertium etiam est fallax, quia pus bonum visu est candidum teste Gal. 1. de Diff. feb. 8.

Se-

Semen putridum dignoscitur ex caussis, si venus fuerit diu intermissa, maximè in corpore sanguineo, & testium calida, humidaque dispositione, si veneris usus juvet.

Ex effectibus, si adsit uteri præfocatio, epilepsia, tremor cordis: Ac si fortè gonorrhœa superveniat, vel naturalis pollutio visu ipso putridum semen à non putrido internoscitur.

Humor putridus solo effectu certissimè patescit: Nam putrescente sanguine oritur feb. plurium dierum nullum habens circuitum, à bile fit febris revertens tertio quoque die, &c.

Humor veneficus, siquidem putrescat omnia ferè habet adjuncta signa febris malignæ superiùs proposita, iis tantum exceptis, quæ excellentem putredinem indicant, quæ altera est febris malignæ

causa. Si non putrescat, & in aliquo corporis ignobili loco immobilis hæreat nullo naturali indicio deprehendi potest. Si ad aliquam partem moveri sentiatur, majora infert symptomata, quàm ullus alius humor qualitate manifesta peccans, in corde excitat syncopē, in cap. Epilepsiam, in ore ventric. cardiogmum, &c. Deniq; si humores in alienam substantiam migraverint per varias corruptiones, eodem modo cognoscuntur, ut tubercula quorum sunt perpetuæ causæ.

Restant signa humoris peccantis in motu.

Est autem motus vel abolitus, vel imminutus, cum humor, qui ex naturæ instituto statuto tempore moveri solet, aut planè quiescit, aut lentè movetur, ut evenit in menstruis suppressis, & imminutis, in sanguine qui ad lactis genera-

rationem ad ubera ferri post partum deberet, aliò rapitur, in hæmorrhoidib. innatis, & in consueta aliquādo narium hæmorrhagia. Vel motus est depravatus cum aut fertur humor quò non oporteret, ut evenit in fluxionibus, aut quomodo non oporteret, sive moveatur tempore à natura minimè destinato, ut in menstruis inordinatis, sive cum labore, ut in mensium stillicidio, sive per locum minimè convenientem, ut cum sanguis per sputum, aut vomitum à natura expurgatur. Motus imminutus, vel ablatus duo habet signa certissima. Primum est, si tempore consueto non accidat. Secundum si gravia sequantur accidentia, quæ nimirum à retenta materia fieri possunt, quibus absentibus non est dicendum materiam retineri præter naturam, aut imminutè vacuari, ut cum menses cohi-

bentur facta conceptione, aut parciùs erumpunt. Motus pravus ratione modi, vel loci, vel temporis, quo excretio naturaliter fieri non deberet, est sine signis per se evidens. At motus depravatus ratione termini ad quem fit fluxio, cognoscitur, primò à caussis efficientibus, si in parte affecta adsit calor, aut dolor, qui humores aliundè possit trahere; aut imbecillitas, ob quam prona sit ad *cujuscunque humoris susceptionem*: *Si* adsint *signa humorum quantitate*, aut qualitate peccâtium, quæ nobiliorem aliquam partem irritare possint ad expulsionẽ. Secundò ab effectibus. Nam sunt quidam morbi, & nonnulla symptomata, ad quæ fluxio necessariò concurrit, ut inflammationes, calculi, &c. Deinde morbi à fluxione pendentes, si in affecta parte imbecillitas relinquatur, solent per quosdam circuitus re-

reverti, & citò gigni, ac omninò ferè omnia adsunt indicia superius enumerata ad cognoscendum locum affectum per cōsensum. Tandem contingit non rarò ab essentialiter inhærentibus cognosci fluxionem, ut cum sentitur materia ab una ad aliam partem fluere, velut evenit in catarrho ad partes infernas delabente, quando materia descendit à cap. per os, nares, asperam arteriam, partes subcutaneas, occipitis, cervicis, ac dorsi. Hæc de signis diagnosticis.

De signis Prognosticis.

CAPUT VIII.

EX prognosticis quædam prænunciant futuram ægritudinem, quædam ægritudinis jam factæ exitum felicem, aut infaustum

ſtum prænunciant. De prioribus agit Gal. cap. 42. art. Med. vocatq; ſigna neutra, quoniam corpus ad imminentem ægritudinem diſpoſitum nondum tamen habens actiones ſenſibiliter læſas, neutrum nuncupatur. Poſteriora ſunt in triplici differentia, quædam ſunt ſalubria, quæ futuram indicant ſanitatem, quædam lethalia, quæ prænunciant mortem, quædam inter hæc media, quæ neutrum portendunt, *ſed ſignificant* morbos comitantes usque ad mortem, ut ſunt tophaceæ arthritides, epilepſiæ poſt pubertatem advenientes. Ac lethalium quidem aliqua ſine addito lethalia vocantur, quædã dicuntur valdè lethalia, illa ſemper prænunciant futuram mortem, iſta ut plurimùm evenientem. Omninò ſive ſalubria ſint ſigna, ſive lethalia, vel morbi longitudinem oſtendunt, vel brevitatem, illa dicun-

cuntur signa morborum chronicorum, hæc brevium, & acutorum. Quod si morbum solvi oporteat, sive ad salutem, sive ad interitum id accidat, quia morbum solvi necesse est, vel per mutationem sensim factam, vel per repentinam: Quæ lentam mutationem significant, signa coctionis, & cruditatis appellantur, quæ repentinam indicant, signa critica, sive decretoria. Quia igitur in medendo id primùm Medico considerandum est, possitne morbus auxiliis pelli, tum quanto tempore sit duraturus, denique sitne exitum habiturus coctione, aut ipsi appositæ cruditate, vel crisi. Primò proponentur prognostica salutis, ac mortis, secundò longitudinis, ac brevitatis, tertiò coctionis, & cruditatis, & signa critica.

Verùm prius ostendere oportet, quomodo morbus immi-

nens prævideatur, cum tantò sit præstantius futuram ægritudinem avertere, quàm præsentem opportunis remediis expugnare, quantò jocundior est sanitatis præsentis fruitio, quàm recuperandæ spes. Imminentem morbum præcipuè indicant causæ, quia ipsum producunt. In primis considerandus est aer, qui si aliqua insigni, ac diuturna constitutione sit perturbatus indicat eos, qui ob intemperiei affinitatem sunt magis dispositi ad aeris alterationem similibus morbis paulo post laboraturos, de quibus diffusè agit Hipp. tertia sectione Aph. Ideò astrologiæ periti, qui ex vario syderum ortu, & occasu futuras præsciunt aeris magnas mutationes, magnã sibi laudem comparant, maturè iis providendo, qui ob malam corporis dispositionem necessariò in morbum inciderent ab aeris injuria. Secundò considerandum

randus est, & maximè, cibus, ac potus, qui plenitudinis, aut cacochymiæ comes est. Quis enim non prædicat, hominem gulæ deditum, casurum in cruditates, obstructiones, tumores, febres? Nec secus cibi qualitas futurum morbum indicabit, veluti si quem noris renum caliditate detentum cibis crassæ, lentæque substantiæ indulgere, eumq; renũ calculo exacta pubertate laboraturum prænuncies, somni valdè perturbati, atque insomnia absurda à vigilantium cogitationibus alieniſſima futurum morbum indicant, atq; ut plurimum febris, capitisq; dolorem. Cohibitæ naturales vacuationes ob intermissa exercitia, alvus cohibita, retenti menses, occæcatæ nares, & hæmorrhoides, brevi futurum morbũ prædicunt retentæ materiæ quantitati, & qualitati respondentem, ut cohibita vacuatio per os, & nares

portendit dolores capitis gravativos, sopores, destillationes. Ex animi quoque perturbationibus id colligitur. Nam præter consuetudinem, & circa causſam tristari, morosum esse, facilè irasci, inverecundiùs agere in societatibus imminentem desipientiam prænunciat. Nec secus ex causſis non necessariò accidentibus futuræ notantur ægritudines, sive studia vitæ spectes, sive assumpta venena, aut medicamenta, v. g. si cuipiam cerebrum frigidius, atq; humidius habenti somniferum porrigatur, soporem prænuncia subsecuturum. Si menstruis imminentibus, imperitus Medicus venam cubiti secet, menstrui est expectanda suppressio, sic piscationes podagram, venationes nocturnæ sub dio tremorem, & paralysim adventuram significant. A lædentibus cognoscitur imminens morbus, ut siquæ fa-

mi-

miliaria esse consueverant, & naturam recreare, amplius non oblectent, sed magis tædium pariant, ac molestiam. Porrò si accuratè expendas naturalem viscerum dispositionem, ac totius etiam constitutionem ratione ætatis, sexus, consuetudinis, facilè judicabis, qui morbi, & quando concitari valeant à caussis internis, siquidem omne agens agit in passum dispositum, faciliusque V. G. incidet virgo, cui uteri viæ sunt adstrictiores, in mensium suppressionem ex modico fructuum adstringentium esu, quàm ex multo eorundem usu mulier adultior, quæque pepererit, quoniam uteri vias laxas habet, & patentiores. Sunt porrò quidam morbi, qui alios necessariò consequuntur ut ulcus ad magnas inflammationes, extenuatio corporis ad ulcus pulmonum, &c. Denique si adsint signa humorum, vel præter na-

turam redundantium, vel prava aliqua qualitate affectorum, licèt nondum sint operationes sensibiliter læsæ, tamen haud procul abesse morbum affirmabis. Nec minus efficaciæ habent effectus, ad arguendum imminentem morbum, quàm causæ. Ac si de actionibus sit sermo, sæpe evenit actionem ita debiliter lædi, ut læsionem ęgrotantes vilipendant, quę tamen lęsio, si diu perseveret propinquum esse morbum significat. *Sic* pigritia ad motum *sive lassitudo* spontanea morbos prænunciat: Stupor prænunciat paralysim, palpitatio faciei oris torturam: Palpitatio artuum convulsionem: Motus debilitas sensuumque turbatio apoplexiam: Muscæ ante oculos volitantes, atque apparentes coruscationes suffusionem. Sonitus aurium cephalalgias, surditates, ac vertigines: Oris amaror assiduus angorem,

rem, capitisque dolorem. Frontis, ac palpebrarum pruritus ophtalmiam: Pruritus ani hæmorrhoides, inappetentia cibi febres: Eadem cum nauſea, & alvi adſtrictione colicos dolores: frequentes exolutiones, ac tremores cordis ſyncopen. Conſiderandæ ſunt quoque excretiones, etiamſi naturalis excretio in quantitate, qualitate, & tempore varietur, ſicque diu perſeveret, morbus expectandus eſt. Fæces, quæ ſubpallidæ eſſe conſueverant, redditæ albæ, ac decolores icterum prænunciant: Mollis dejectio cum dolore dyſenteriam: Rejectio fœtens, & albicans vermium generationem: Rejectio fœtens, ac pallida febrem biliosam: Sudor nocturnus multus alvi ſtypticitatē: Urinæ pauciores ſudorem: Urinæ modò craſſæ modo pellucidæ, & ſplendentes calculum veſicæ: ſputa ſalſa cum tuſſi phtiſin. Sed & mutata

tata qualitas magnam vim habet ad indicandum morbum imminentem. Etenim forma, & pulchritudo corporis defloreſcens, præcurrere morbos ſolet: ſic ex faciei pallore, cum levi palpebrarum tumore proximam cachexiam colligimus, ex cachexia hydropem, ex rubore, & tumore oculorum cephalæam: Ex frigiditate extremorum revertentem feb. &c.

Signa ſalutis, aut mortis.

CAPUT IX.

IN ſalute, aut morte prædicenda, quoniam perſæpe labitur medicus, quædam ante prædictionem accuratè ſunt adverteñda, ne temeritate judicii dignitas artis infametur.

Sit ergo primum præceptum, ne in principio morborum chronicorum

rum statim aut salutem, aut mortem prænuncies, tum quia utriusq; signa sunt in principio valdè debilia, tum quia natura medicamentis adjuta vincit non rarò temporis diuturnitate affectus, nostra opinione insuperabiles. Secundùm ne materia adhuc fluente, aut turgente, quidquam certi prædicas, cum adhuc dubium sit, quò sit terminatura fluxio ad partem nobilem, an ad ignobilem, quam ob causam statuit *Hipp. in morbis* acutis non omnino certas esse prænunciationes salutis, aut mortis, quia in mirum magnæ, ac repentinę in ipsis accidunt mutationes, quæ judicium pervertunt. Tertium ut etiam apparentibus signis bonis salutem non prænuncies, si metus sit, ne ob aliquam caussam externam æger in deteriùs labi possit. Sic ergo prædicendum salutarem fore morbum, nisi talis causa accesserit, nec

nec ullus error ex parte ægri, assidentiumque committatur. Quartum ut signa diebus criticis apparentia sive bona sint, sive mala plus virium ad significandum habere putes; magisque æstimes. His animadversis expendenda sunt deinceps singula signa at inter se conferenda, ut cum aliqua bona concurrerint cum signis lethalibus, eorum viribus æstimatis conjicere liceat, quænam illorum sint prævalitura. *Quod si omnia bona signa apparuerint, salutem, si omnia mala exitium prænuncient:* Prima autem signorum salubrium, lethalium, ac mediorum classis ab essentialiter inhærentibus sumitur, à morbi inquam specie, vehementia, ac diuturnitate. Si intemperiem spectes, morbi hæreditarii, & habituales membri ad vitam necessarii sunt lethales, in aliis partibus sunt quidem incurabiles, sed non lethales, inter in-

intemperies verò ſicca eſt cæteris lethalior, & incurabilior, tum quia humidi, calidique defectum neceſſariò habet adjunctum, tum quia humectationi difficulter cedit: Unde feb. hectica incipiens eſt ſignum valdè lethale, progreſſa autem ſimpliciter lethale, porrò licèt intemperies, non ſint maximæ, ſi tamen ſint contrariæ, atque duas occupent partes ad vitam neceſſarias fiunt periculoſæ, & interdum lethales maximè decurſu temporis, ut accidit ventriculo inſigniter refrigerato, & jecore accenſo. Ex morbis in mala compoſitione, morbus in figura ut plurimum eſt ſignum medium, & comitatur uſque ad mortem, ut gibboſitas, crurum tortuoſitas, antiquæ femoris luxationes, diſtortio pedum, quæ accidit valgis, & vaciis. Morbus in numero deficiente niſi partem

præ-

præcipuam, aut ipsi ministrantem occupet, est quoque signum medium, cum nec interficiat, nec amoveri possit. Morbi diuturnitas, si cum viribus conferatur longè certissimum est salutis, aut mortis indicium. Cum enim inter naturam, & causam morbificam luctatio fiat, & in alterutrius victoria stet salus, aut interitus: si natura adeò sit robusta, ut quanto tempore duraturus est morbus resistere valeat, *morbum victum iri asseremus*, *morituram* verò *ægrum*, si adeo langueant ejus vires, ut per totum morbi statum durare non valeant. Metiri igitur omni studio virium statum oportet, & perspicere brevine, an tardè adventurus sit morbi status. Nam debiles vires in principio, vel augmento universali morbi sunt signũ lethale: Utcumque verò fortes, usque ad statum signum salutare, præsertim cum signis coctionis. Hanc

ob

ob causam morbus acutus alteri morbo acuto superveniens est lethalis, quia vires à priori morbo fractæ, alterius supervenientis decursum sustinere nequeunt. Eadem ratione ait Hipp. lethale esse utero gerentem acuto morbo corripi, quia ob uteri gestationem, generosa remedia, quibus in curandis morbis acutis egemus, perferre non potest. Quomodo verò adveniens morbi status cognoscatur inter signa longitudinis, ac brevitatis morbi proponetur. Cæterum ea fieri debet collatio virium cum morbo, ut illæ vires conferantur, quas maximè lædere aptus est morbus. Illud tamen universim statuendum, virtutem vitalem, à qua vitæ custodia primò pendet, maximam habere vim ad significandam salutem, aut mortem: Deinde accidentalem, si tanta sit ejus læsio, ut aspiratio tolli possit. Tertiò naturalem

ralem vitalis quippe fundamentum. Quo circa post vitalem maximam dignitatem habet naturalis, quando animalis virtus adeò læsa non est, ut respiratio in discrimen vocetur, siquidem vis animalis solùm est necessaria ad vitam, quatenus respirationem calori cordis eventando perneceſſariam fovet. Sed inter hæc signa facilè primas tenet morbi vehementia: *In parvo enim morbo salus est expectanda, & omnis morbus* magnus futurum esse vitæ periculum significat. Qui morbus magnus est ratione dignitatis, essentiæ, & facultatis simul, est lethalis, si sit magnus ratione dignitatis tantùm, parvus tamen ratione essentiæ, & facultatis, ut plurimum est salutaris, præsertim verò morbus in intemperie aliquando est lethalis ut pustula pulmonum, quæ post disruptionem abit in ulcusculũ. Morbus ma-

mágnus ratione essentiæ in parte ignobili longitudinem tantum denotat, in parte nobili est lethalis: Pessimus est morbus magnus ratione facultatis, eò enim periculosior censenda est affectio, quò plura, magisque terrifica symptomata eam comitantur. At magnitudo morbi respectiva, ex se solùm longitudinem morbi denotat per accidens autem fit lethale, salutare, aut medium: *Medium* si causa insuperabilis sit in parte *ignobili*, *veluti* pituita intra articuli cavitatem in tophum concreta: Salutare si causa morbifica non sit penitus insuperabilis neque actionem præcipuam admodum *in*festet, ut diuturnæ uteri, ac lienis obstructiones: lethale, si morbus unà sit magnus ratione dignitatis, aut facultatis, ut est jecoris scirrhus, & vesicæ calculus urinæ excitans suppressionem, & acerbissimos cruciatus.

Se-

Secunda signorum classis desumitur à causis, inter quas, quæ externæ dicuntur eatenus fiunt signa salutis aut mortis, quatenus morbi magnitudinem, aut parvitatem significant. Gratia exempli, quantò validiores fuerint externę causæ, egerintque diutius, tanto periculosiorem fore morbum significant, quia sunt indicia morbi magni ratione essentiæ. Causſæ intĕrnæ disponentes sunt signum salutare, *quando sunt affines morbo* facto, lethale verò *cum* valdè sunt dissimiles, unde ait Hipp. 2. Aph. 34. In morbis minùs periclitantur, quorum naturæ, aut ætati, aut habitui &c. Internæ efficientes, quemadmodum morbum magnum, aut parvum citò, aut tardè solubilem faciunt, ita indicant salutem, aut mortem, vel medium inter hæc extrema. Corpora solida morbos producentia, ut tophi, calculi, vaporęs

pores in oculo concreti, ac suffusiones facientes, & ferè semper indicant morbum insolubilem, & comitaturum homines usq; ad mortem: Bilis adusta, & æruginosa lethales morbos significat, veluti quicumque alius humor excellenter putridus, aut veneficus. Humores benigni, ac sola copia peccantes morbos potius longos, quàm lethales significant, nisi propter humoris copiam, virtutis immineat suffocatio.

Caussæ juvantes, quæcunq; illæ sint, sunt signa non lethalia, non tamen necessariò salutaria, unde ait Hipp. 2. Aph. somnus in quo morbo juvat non lethale, quæ verò juvare deberent, & non juvant sunt signa valdè lethalia, ut si multæ vacuationes arte, aut natura factæ, quibus humor peccans diminutus sit, ægrum non sublevent. Quod si non modò non juvent quæ juvare debe-

rent, sed præterea noceant, sunt signa lethalia, ut si quis ex evacuationib. rationabiliter factis debilitetur, morbusq; crescat, qua ratione ai Hipp. morbum eum lethalem, in quo morbus laborem facit. Verùm quia in eorum, quæ juvare deberent, administratione aliquando adveniunt mala præter rationem, & pariter delitescere videntur morbi citius, quàm eorum natura, copiaq; humorum ferat, jubet *Hipp.* 2. Aph 27. *iis, qui non ex ratione* levius se habent non oportere fidere, neque rursus formidare mala, quæ præter rationem eveniunt, plurima enim talia stabilia non sunt, nec multum durare consuevere. Si igitur morbus acutus nulla facta vacuatione, sed ne apparentibus quidem signis coctionis cessare videatur, non est signum salutare, quia mox sævius recrudescit; Contra si apparentibus signis coctionis, natura item va-

valida existente, ac nullo errore externo commisso, nova adveniant symptomata, uti graves somni, inquietudo, jactatio, anxietas, &c. non est signum lethale, imò plerunque salutare est, futuramque crisim citò prædicit. Deniq; causæ foventes in præsagienda salute, aut morte non sunt prætermittendæ cum scribat Hipp. 2. Aph. 44. qui natura admodum sunt crassi citiùs interire, quam qui *graciles*, *internæ enim* putredines à densitate *corporis* foventur, raritate solvuntur. Propterea videmus tempore pestis facilius quidem inficiuntur mulieres, ac pueros ob corporis laxitatem, citiùs autem, ac faciliùs interire viros ob ejusdem densitatem.

Tertius, ac longè uberrimus lethalium, salubriumque signorum fons ab effectibus derivatur scilicet actione læsa, qualitate mutata, & excrementis. Actio læsa in ge-

nere est signum non lethale, quando parva est læsio, magna autem læsio præcipuè actionis, vel ipsi ministrantis vitæ periculum minatur. Quantò autem actio est ad vitam magè necessaria, tantò majus est in ejus læsione periculũ, ut propterea cordis actiones, maximè omnium sint considerandę, non illę quidem, quæ ad irascibilem facultatem pertinent, quæque ad caussas externas referuntur, atque *ad appetitum sensitivum* verius pertinent, sed quæ ad vitalem facultatem spectant certum præstant futuræ salutis, aut mortis indicium; spectant autem ad vitalem potestatem spirituum vitalium generatio, corundem communio cum omnibus corporis partibus, & caloris ipsorum conservatio, utrique verò pulsifica facultas cordis, & arteriarum inservit. Ex iis operationibus, ut aliquid certi prædicatur, adverten-

tendum primò periculosius esse si virtute vitali labefactata superveniat morbus, quam si morbo superveniat virium debilitas. Secundò minùs etiam periculosam noxam quæcumque his facultatibus eveniat per consensum, non autem propter essentialem cordis affectum: Nam corde primariò affecto reliquas virtutes totius corporis deficere oportet; at corde per consensum patiente reliquæ virtutes non ita debilitantur: Nulla tamen cordis passio est contemnenda quamcunque ob caussam eveniat, præsertim si causa interna sit, tum quia cor interim, dum patitur, cæteris partibus non fert suppetias, tum quia verendum est, ne tandem essentialis affectus in corde fiat. Tertiò advertendum læsiones cordis, quæ citò recedunt nihil certi portendere, sed vel tales perseverare

oportet, vel sæpius reverti. Imprimis verò generationis spirituum cessatio lethalis est, maximè si frequenter fortiter, & absq; causa manifesta eveniat, unde Hipp. 2. Aph. 42. qui frequenter, ait, fortiter, & absque causa manifesta exsolvuntur, repentè pereunt. Sunt hæc symptomata semper lethalia, quando in morbis acutis superveniunt ęgro jam debili: Atque si iis recedentibus causa perseveret, *viresque non instaurentur proxima est mors.* Lethaliſſima est quoque abolita spirituum influxio, & conservatio caloris partium, quando perseverat, vitioque cordis oritur: Unde refrigeratio extremorum, & sudores frigidi totius corporis proximam mortem antecedunt. Rarum est enim, quod Venetiis observavi in præcipua Matrona, quæ cum integro tridui spacio ab undecimo die ad decimum quartum usque febre ma-

maligna laborans totos artus habuisset frigidos, ac in frigidos sudores assiduos secundùm frontem, ac sternum soluta fuisset, nihilominus convaluit. Quòd si caloris influxio, vel à caussa externa impeditur, ut in metu, ac repentina tristitia, vel interna caussa non perseveret, ut in principio Febrium intermittentium non est signum lethale. Motus vitalis depravatus minus est periculosus, quàm diminutus, vel abolitus, hic enim semper est lethalis, ille non semper. In acutis febr. tremor cordis ut plurimum est lethalis, si febris absit vix unquam est lethalis. Vera palpitatio in ægro debili planè est lethalis, in aliis rarissimè persanatur. Sed quia pulsus evidentissimè monstrat virtutum vitalium statum, præcipua signa salutis, ac mortis ex ipsius læsione desumuntur. Pulsus parvus, ac languidus semper est malus, sed in mor-

borum principiis est lethalis, maximè si fiat ab imbecillitate virium, non ab earundem suffocatione. Tardissimus, ac rarissimus pulsus parvitati junctus caloris vitalis extinctionem, & proximam mortem significat. Pulsus valdè durus in interiore inflammatione est lethalis, quia maximam indicat inflammationem, est etiam lethalis, quandocunq; exsiccatione arteriæ provenit, ut in marasmo. *Magnus verò vehemens, & intercæt.* moderatus semper est signum salubre, cum virium roburindicet. Celeritas, ac frequentia ex se, nec salutem, nec mortem significant, nisi unà considerentur aliæ differentiæ: V. G. pulsus celerrimus, ac frequentissimus in principio morbi est lethalis, quia necessario est parvus, & languidus morbique vehementiam arguit. Pulsus inæqualis æqualiter, & maximè inæqualitate sy-

syſtematica eſt lethalis, minùs periculoſus eſt inæqualis inæqualiter, ac ſi pulſus inæqualis ordinem ſervet eſt pejor eo, qui eſt perturbatus. Inter pulſus inæquales abolitus eſt deterrimus deinde minurus deficiens, vermicans, & formicans, proximam enim mortem ſignificant. Pulſus caprizans, cujus ultima pars motus eſt vehementior prima, ſemper eſt ſignum ſalutare, lethale verò, cujus ultima pars motus eſt debilior prima, dicitur que dicrotus. Tremulus pulſus in feb. ſemper eſt periculoſus, ac ſi una intermittat eſt valdè lethalis. Illud tamen obſervandum ne ex intermittentia, aut inæqualitate pulſus de ſalute, aut morte ſententiam feras, niſi tibi explorata ſit ægri natura: quia tales pulſus quibusdam ſunt naturales, ac perinde in morbis nihil boni, aut mali indicant. Omninò indicia ſalutis, ac

mortis, in compositis pulsibus præcipuè desumuntur à debilitate, ac parvitate, cujus quò magis fuerit particeps pulsus, eò erit periculosior.

Actio naturalis quando rectè celebratur semper est signum salutare, magna ejus læsio tanto est pejor, quantò magis occupaverit partes, quib. communis nutrimenti elaboratio dicata est, unde scribit Hipp. 2. Aph 35. in quovis morbo partes ad umbilicum, & imum ventrem attinentes crassitudinem habere melius est, multum verò extenuari, & contabescere pravum. Quia verò concoctione valida existente excrementa cocta emittuntur, fit ut omnia signa coctionis sint semper bona, ac si in principio apparuerint celeritatem judicii significent, signa autem cruditatis sint mala, nam hęc diu perseverantia, & ab initio cum virium robore morbi diuturnitatem

tem significant, cum virium imbecillitate mortem: cibi fastidium, non modo in quocumque morbo diuturno est malum, ut notat Hipp. 7. Aph. 6. sed etiam in acuto. Pessimum est illud, quod ad cibi abominationem pervenit, ita ut ægri malint mori, quàm cibum capere, aut siquidem edant plurimum affligantur, nam cibi abominatio est causſa, ut vires citò concidant, ac præterea *insignem caloris nativi* labem arguit. *Unde inquit Hipp.* 2. Aph. 33. in quovis morbo benè se habere ad oblata bonum, contrarium verò malum. Carentia sitis in feb. acutis (nisi adsit aliqua destillatio pituitosa ad fauces, & oesophagum) est signum valdè lethale. Nam vel delirium significat, vel caloris extinctionem. Si de expultrice sermo sit, quæcunque naturalis, & consueta excretio debito tempore, &

per convenientem locum facta est signum salutare, perturbata verò semper est mala, & quò majus est expultricis irritamentũ eò pejor est excretio. Singultus in feb. cum virium debilitate est lethalis: In acutis verò febrib. semper, unde feb. singultuosæ dictæ inter mortiferas recensentur. Omnium pessimus singultus cum oculorum rubore, & vomitu 3. Aph. 3. necnon à vulnere cap. quia magnam cerebri inflammationem significat, deniq; inter nisi inflammationibus superveniens singultus perpetuò est lethalis. In feb. continuis si rigor incidat feb. non desinente ægro jam debili lethale est 4. Aph. 46. contra verò rigor superveniens feb. ardenti, si nec debilis sit æger, nec febris perseveret, morbi solutionem significat 4. Aphoris. 18. Inter actiones accidentales primam vim habet respiratio ad indicium salutis, aut mortis. Verum

rum ut ex mala respiratione valida argumenta imminentis mortis desumimus, ita ex bona respiratione nō semper securitatem morbi conjicere licet. Etsi enim respiratio bona semper est signum non lethale, in morbis tamen malignis, ac pestilentibus ex bona respiratione nil colligi potest, quia virtus vitalis ante dissolvitur, quàm insignes in respiratione mutationes accidant. In plerisque affectibus cap. nim. soporosis tantum est vitæ periculum, quanta adest, vel imminet respirationis læsio. In feb. acutis lethalis est respiratio parva, ac frequens, in qua pinnæ nasi moventur, ac si in exspiratione thorax quasi collabatur tanquam si virtus motrix gravitatem pectoris regere non queat, vicinam mortem significat, ut & respiratio obscura, ac ferè quoad sensum abolita, lethalis est quoque respiratio tara, & ma-

gna, cerebrique inflammationem, ac delirium significat, item respiratio extensa, qua luctuosa suspiria expirando efficiuntur. Addere spirationem, quam urgentem vocant, nec non strepentem, ut in stertore. In illa thorax celerrimè movetur cum exsufflatione, fitq; à natura copia humorum putridorum, fuliginumq; deducta: In ista inspiratio fit cum strepitu ob instrumenta spiritus summè *coarctata. Utraque igitur vicinam* mortem significat. Sed & aliæ sunt motricis facultatis affectiones periculi plenæ, aut spei: Imprimis decubitus ægri quam simillimus decubitus ejusdem sani, adhæc corpus in quodlibet latus facilè vertere, brachia movere sine adminiculo, sine labore surgere cum oportet bonum, & semper quidem salutare, si in statu morbi, vel augmento persèveret. Contrarium verò malum,

lum, quando in principio, vel in augmenti parte apparet, cum maximam virium debilitatem significet. Item Hipp. in Coacis malum esse dixit supinum decubitum maximè cervice, & cruribus extentis (nisi naturalis sit decubitus) quia in eo situ motrix feriatur, nec potest corp⁹ vertere jam devicta ipsius vi à gravitate corporis. Supinus decubitus, si neq; sit naturalis, nec ventris dolores adsint, est lethalis, deliriumque significat, ut & motus convulsivi brachiorum, crurum, ac manuum, earumdemque assiduus tremor, aut gesticulatio. In feb. valdè acutis ventriculi, Hypochondriorum, & maximè totius corporis palpitatio est lethalis, quia magnam caloris resolutionem factam fuisse ostendit, de qua re apud Hipp. historias pete 1. Epid. sect. 3. tex. 21. Convulsio feb. acutis superveniens, nisi ea permutatione ma-

materiæ fiat, est lethalis, nervorumque sequitur exsiccationem. Stridor dentium in acutis feb. si delirium sequatur est lethalis, mortemque vicinam significat, si delirium præcedat illud imminere præsagit. Ad cognoscentis facultatis læsiones quod attinet, ut mente constare, & ad omnia oblata rectè se habere est bonum, ita pro varia mentis alienatione, ejusq; causæ conditione majus, aut minus periculum *impendet.* *Delirium* continuum superveniens feb. acutis est lethale, ac si ægrum jam debilem corripiat, mors in propinquo est. Delirium ferinum, aut quietum, & obscurum, qualis in phrenit. hectica lethale est, somnus item cum labore facit est lethalis. Soporfeb. superveniens in statu, ac declinatione particulari est malus, ac si feb. sit valdè acuta, vel adsit interna aliqua inflammatio est lethalis.

Vi-

Vigilia assidua feb. superveniens cum signis cruditatis, aut corruptionis humorum est pessima, cum signis autem coctionis non est mala, quia ut plurimum significat futuram crisim per sanguinis excretionem è naribus. Fatuitas læsioque Memoriæ febr. superveniens, si feb. solvatur insanabilem quidem affectum, sed non lethalem significat. Aurium ingens sonitus in principio aut augmento acut. est malus nisi mox sanguis è naribus fluat. Apparentibus autem signis cruditatis est lethalis, proximum delirium significat surditas perseverans, in principiis acutorum superveniens est lethalis, eamq; mox delirium subsequitur. In statu morbi superveniens, si æger sit debilis, & adsint signa corruptionis humorum extinctam vim rationalem, & vicinam mortem significat: Si adsint signa coctionis, nec adeo imbecil-

becillus sit æger futuram crisin per abscessum retrò aures prænunciant. At si apparentibus jam parotidibus surditas superveniat, est penitus lethalis. Intuitus fixis oculis, & vel micantibus, vel squallentibus in morbis acutis est lethalis, veluti ægrum jam debilem adstantes, ac familiares non cognoscere. Dolor magnus in acutis superveniens ægro debili, & cum signis malis est lethalis, at in signis bonis, ut plurimum est *signum* decretorium. Nam dolor cap. in juvenibus sanguinem è naribus fluxurum, in senibus superventuras parotides significat, dolor ventris dejectionem. Sed ut ex dolore certius quid pronuncies, attentè inspiciēda est doloris causa, pars affecta, ejusdem magnitudo, duratio, & ægri virtus. Nam vehementissimi dolores continui in ægro non forti feb. superveniente, ut plurimum

sunt

sunt lethales. Cardialgia inter omnes doloris species est perniciosissima, post ipsam angor, i. ineffabilis quædam molestia oris ventric. in febrib. continuis est maximè lethalis, ac vix nisi in febr. mali moris reperitur.

Ab excretis plurima desumuntur indicia salutis, & mortis, cum illa præcipuè indicent morbi vehementiam: Quamquam neutrum immediatè significant, sed quatenus sunt effectus fortis, aut debilis facultatis. Priusquam verò præsagia salutis, ac mortis proponantur quædam admonere oportet, quibus veluti regulis prædictiones istæ diriguntur. Primum enim in omni excreto quantitatem, qualitatem, excretionis modum locum, tempus, & ordinem spectare oportere, ut inde certum, quid prædicatur. Secundũ est præcipua signa salutis ac mortis ab excre-

crementis sumi quatenus cruda sunt, aut cocta, ac signa quidem perfectæ coctionis salutem pollicentur: Sed tamen cum iis signis observandum est, an remittantur accidentia, & impediri possit coctorum excrementorum expulsio. Potest enim mori æger in statu cum signis perfectæ coctionis, si expultrix, vel languida, vel impedita excernere nequeat cocta excrementa, ut evenit Erastionacti, qui ex *suppuratis parotidibus* interiit. Præterea in morbis Thoracis licet cocta sint excrementa si virtus animalis sit debilis sine cujus auxilio excerni nequeunt non sunt periculi expertia: Ita in internis inflammationibus suppuratis, si vacuari pus nequeat, mori oportet. At excrementa imperfectè cocta, si cum aliis malis signis jungantur sunt lethalia, præsertim si talia diu perseverent, juncta verò cum bonis signis

gnis longitudinem morbi significant. Porrò si coctionis signa statim in principio morbi acuti apparentia paulò post delitescant sunt lethalia, si perseverent, sensimque ad perfectam coctionem tendant, celeritatem judicii pollicentur, ut de sputis in pleuritide statim advenientibus ait Hipp. 1. Aph. 12. In morbis etiam à materia heterogenea provenientibus non est fidendum *nisi coctioni perfectæ*, evenit enim aliquando, ut una materia coquatur, altera, quæ deterior est, cruda remanente, quo tempore si feb. cessaret recidiva est expectanda, ut in feb. autumnalibus contingit. Quod si signis bonæ coctionis critica signa superveniant indicium est illico subsecuturam crisim, & cum ea salutem. Eadem autem critica signa supervenientia signis cruditatis, aut corruptionis citam mortem significant; Signa integræ

cru-

cruditatis, diu perseverantia cum virium robore diuturnitatem morbi significant, cum debilitate mortem. Signa corruptionis excrementorum perpetuò sunt lethalia, maximè cum in augmẽto, aut statu apparent, quo tempore naturam coctioni incũbere oporteret. Differunt autem quodammodo excrementa cruda à corruptis: nam licèt utraque sint inconcocta, atq; adeo coctis opposita id est lata appellatione *cruda*: Tamen cruda propriè sunt ea, quæ per caloris actionem coqui, & perfici possunt, corrupta autem sunt inconcocta per negationem, quia coctionem non recipiunt, sive ob materiæ pravitatem, sive ob caloris imbecillitatem. Intercepta cruditas dubium eventum semper significat, & infidum fore judicium ostendit. Cæterùm humorum conditiones sensibus explorari nequeunt, nisi

aut

aut vacuẽtur, aut ad cutis extimam ſuperficiem ab interioribus partibus transferantur. Vacuantur vomitu, dejectione, mictione, ſudore, ſputo, hæmorragia, vel ſimili efflu-vio, quemadmodum pus ex ulceribus quamcumque partem obtinet, effluit. Transferuntur ad cutem in Ictero, in abſceſſibus retro aures, morbillis, ac variolis, aliisq; puſtularum eruptionibꝰ, pruritu, ac ſcabie, à *quibus omnibus varia hauriuntur ſalutis, ac mortis præſagia.* Hꝰs autem vacuationes ſumo non ut principales affectus, ſed ut aliorum morborum accidentia. Vomitus igitur cum ſingultu, & oculorũ rubore eſt lethalis 7. Aph. 3. quicumque vomitus cibi, vel in chronicis, vel in acutis morbis diu perſeverans eſt periculoſus, ægro autem debili eſt lethalis maximè in acutis, & in morbi ſtatu, ac pejor eſt ſolius cibi vomitio, quàm

si excrementa cibo misceantur: Hoc enim expultricem irritari ab excrementis significat, illud verò expultricis debilitatem à sola cibi gravitate opprimi ac stimulari. Omnium pessimus est vomitus cibi inalterati, si non statim à sumpto cibo fiat. Exsolutionem enim caloris significat, & in morbis magnis paulò ante mortem accidit. Vomitus diversorum excrementorum sive unà excernantur, sive vicissim *in principio acutorum* cum virium robore longitudinem, ac difficilem morbi solutionem significat, cum virium debilitate lethalis est. Vermium vomitus in augmento, aut statu acutorum est timendus, tum quia putredinem indicat, tum ob gravissima symptomata, quæ vermes in ore Ventric. excitant; Vomitus paucus, & valdè frequens in acutis, ut plurimum est lethalis, quia summum irritamentum cauſ-

sæ morbificæ indicat, & expultricis imbecillitatem. Vomitum atræ bilis lethalem vocat Hipp. in principio morborum 4. Aph. 22.

Pariter est lethalis vomitus copiosus, ac frequēs materiæ peccantis, si interim malum non remittatur; nam præter materiæ copiā etiam significat, vel ipsam intro retrocedere, vel à debili calore amplius expelli non posse è venis ad ventriculū: Pessimi sunt quoq; vomitus porracei, *lividi*, *fœtētes*, nam cum virium imbecillitate mortem perpetuò prænunciant. Vomitum sanguinis qualiscumque sit, malum esse statuit Hipp. 4. Aph. 21. At minus est malum si accidat sine febre, quàm si cum feb. 7. Aph. 38. Nam præsente febr. facilè putrescit sanguis, ulcusq; excitatur, unde Hipp. 7. Aph. 88. à sanguinis, inquit vomitione tabes, & puris supernè purgatio. Illi verò vomitus sunt saluta-

res, qui sponte fiunt, cum vacuatione humoris peccantis, tolerantia viriũ, & morbi imminutione Aph. 2. Sed, & inanis vomẽdi desiderium (nauseam vocant) in acutis sæpè est periculosum, arguit enim, vel materiam valdè acrem, & mordacem, quæ minima sui parte naturam valdè stimulet, vel expultricis impotentiam. Minus est malum, si tantum à materia ventriculi tunicis impacta proveniat.

Dejectio, quæ similima est dejectioni *naturali* est salutaris, est autem optima, & maximè naturalis dejectio mollis, modicè consistens, parum fœtida ad ruffum vergens, quantitate respondens ingestis, & facta congruis intervallis post chyli distributionem: Ab iis conditionibus quantò longius recesserit; tanto erit deterior, & periculosior.

Dejectiones chylosæ, nigræ, lividæ,

vidæ, pingues, admodum fœtidæ in acutis supervenientes ægro debili velut cujuscunque alterius humoris immodicæ egestiones sunt lethales, vermes in dejectionibus apparentes in augmento, aut statu febr. ingentem significant putredinem, maximè verò si mortui sint, neq; æger valetudinis tempore vermes gignere sit solitus: Ac si alia mala signa adsint sunt lethales. Salutaris est dejectio facta die critico cum tolerantia: At si die critico vestigia supervenientis diarrhœæ cernantur, moxque desinant in morbi incremento lethale est. Bonum est quoque si in profluviis alvi mutationes excrementorum fiant ad melius 2. Aph. 24. præsertim si varia excrementa non simul, sed ordinatè, & successivè excernantur, id enim à natura vincente, & humores absq; perturbatione secernente provenit.

Dejectio sanguinea nisi critico motu ex hęmorrhoidibus fiat, semper quidem est periculosa, in feb. verò ægro jam debili est lethalis.

Ab urina plurima signa lethalia, & salutaria desumuntur pro vario recessu à naturali urinæ statu. Est autem urina hominis sani subruffa, mediocris consistentiæ cum eo colore permanens, cum quo excreta fuit respondens quantitati potus cum hypostasi alba, lævi, & æquali, si *mictionem ipsam* consideres sive modum, quo urina excernitur, mictio copiosa & involuntaria in acutis feb. est lethalis, nam significat ob magnam cerebri inflammationem convelli vesicam, & insignem materiæ pravitatem, lethalis est etiam involuntaria mictio in acutis ægro jam debili, quia emortuam facultatem significat. Urinæ suppressio cum gravi lumborum dolore, ac febr. est lethalis,

&

& à renum inflammatione oritur, est etiam lethalis in hydrope, quia jecoris calor citiùs suffocatur, ejusdem suppressio pessima est in acutis si cum convulsione, ac delirio jungatur: In statu tamen, apparentibus signis bonæ coctionis, urinæ suppressio cum rigore est signum salutare, & crisim fore per sudorem prænunciat. Pauca urina in febr. acutis, nisi adsint sudores, ac liquidiores dejectiones semper est mala: quoniam retenta humiditas & putredinem auget, & calorem obruit. Sunt verò lethales in feb. cõtinuis urinæ claræ, quæ prius crassæ erant, si mentis alienatio supervenit: Urinæ fœtidi, si absit alcus, item nigræ, ac tenues, quales ex caloris mortificatione fiunt: Crassæ, paucæque confusæ, & turbatæ cum virium debilitate, maximè si tales minguntur, & permanent, vel clarè minguntur, & paulò

post turbantur; Urina viridis, aut æruginosa in morbi principio lethalis est, in augmento, aut statu vicinam mortem significat. Urina oleaginea nisi vitio renum fiat in acutis est lethalis: Quemadmodum & nigra crassa nisi in morbi melancholici declinatione appareat, tunc enim critico motu talis redditur, cum virtutis sublevatione, urinæ cõtenta livida, aut nigra quamcumq; *vasis partem occupent sunt lethalia, nam vel* summam adustionem, vel caloris extinctionem significant.

Sudores in feb. acutis die 9 non criticis evenientes sine conferentia cum virium robore morbi longitudinem cum imbecillitate mortem: eandem prænunciant frigidi sudores circa caput tantum, aut circa vultum, ac cervicem in morbis acutis, at in leviori morbo ipsius longitudinem significant.

Col-

Colliquativus, & diaphoreticus sudor semper est lethalis, in acutis enim vicinam mortem indicat, in chronicis habitudinem prænunciat. Calidus sudor circa caput tantum, ac cervicem cum difficili anhelitu, vel anxietate in febrib. acutis imminentem syncopen portendit. Est quoque lethalis sudor in acutis, qui fit cum rigore, aut horrore febr. non desinente. Sputa quæcunque pessimos colores, & odorem tetrum habentia in principio, ac statu acutorum sunt signa lethalia, quemadmodum & cessatio sputi malo non remittente, vel etiam si sputum maximè cum labore reddatur ob materiæ copiam, ac crassitiem, ægro valdè debili: pessimæ sunt quoque hæmorragiæ guttatim factæ in acutis, diebusque criticis, ac planè lethales, si virium adsit imbecillitas; Absessus criticè facti, si morbum non

minuant, sunt lethales: Aut si simul, ac apparuerint, mox recurrant. Parvi abscessus in morbis magnis facti sunt mali, quia morbum non judicant: neque tutæ unquam censendæ sunt parotides ob cerebri viciniam sive suppurentur, sive resolutione sanentur. Pustulæ ad cutem enatæ in acutis deinde intrò regredientes sunt lethales. Quantò autem deterioris conditionis extiterint *nigræ, lividæ ex atro flavescentes, ichorosæ, valde* dolentes, &c. tantò certius mortem prænunciant. Icterus *superveniens* in feb. ante diem septimum inter prava signa recensetur ab Hipp. 4. Aph. 62. est autem signum salutare, si superveniat septimo, undecimo, aut decimoquarto, nisi dextrum ilium obduruerit, tunc enim est signum lethale 4. Aph. 64. & 6. Aphorism. 42.

Sed icterus ad mutatam qualita-

litatem pertinet tertium symptomatis genus, à quo lethalia signa desumuntur. Imprimis facies simillima faciei naturali in morbis acutis signum est salutare 2. in 6. Epid. 34. dissimillima verò qualis est Hippocratica, & cadaverosa dicta, est mortis nuncia maximè si non pendeat à caussis externis, nec sit admodum absimilis naturali faciei ægrotantis, & tamen minus mala in morbis chronicis, quam acutis. *Facies non multum* à naturali differens, & apparenter sana in febribus continuis diuturnitatem significat, quæ verò citius extenuatur, quàm ratio postulet mortem 2. Aph. 28. In oculis hæc lethalia signa passim leguntur in Coacis. Oculi cavi lucem fugientes, assiduò mobiles, alterius oculi extenuatio & atrophia, livor venarum oculi, splendoris amissio, oculi squaliditas, rubrum album oculi

occupans, lachryma præsertim in oculo cavo siccescens, palpebræ perversio, livor aut pallor; Hæc enim in acutis supervenientia, omnia quidem mortem pleraq; autem vicinam significant: aures contractæ, frigidæ, & pellucidæ sunt signum lethale, viridis, livida, aut nigra facies in acutis est lethalis, & caloris extinctionem significat, mutatio coloris totius corporis ita ut modò unus, modò *alter* color appareat *morbi longitudinem* significat 4. Aph. 40. quia varii colores à variis pendent excrementis, quæ nonnisi longo tempore vinci possunt: Ac si virium juncta sit imbecillitas ista mutatio fit signum lethale. Experientia etiam constat ruborem manuum, ac pedum *in* acutis paulo ante mortem cerni, ac protinus in livorem desinere. Livor totius corporis, vicinam mortem significat. Vnde adolescens relatus,

tus 2. in 3. Epid. 80. qui cum tertio die extremitates haberet lividas septimo tantum die mortuus est, tandiu servatus est ob insigne virium robur aliàs die quarto periisset. Idem significat color niger, si sit sine tumore, aut cum corporis gravitate, nam si cum iis signis appareat, & morbus imminui videatur, significat pepulisse adustam materiam extra venas, & longè à partibus nobilibus; Frigiditas partium extremarum diu perseverans in feb. continuis est valdè lethalis, quemadmodum totum corpus æque incalescere est bonum, & salutare, si alia bona signa conjungantur. Denique in cognoscenda futura salute, aut morte non est contemnendum signum à simili præcipuè in morbis populariter grassantibus, aut iis, quorum causam ratione planè assequi non possumus, ut propterea in arte exer-

erciti longè certius prædicere sciant exitum morbi sumpta similitudine ex iis, quæ quotidiana experientia observarunt.

De signis longitudinis, & brevitatis morbi.

CAPUT X.

POstquam constiterit, morbum lethalem, aut salutarem fore, *investigandum est porrò*, brevine, an longo tempore habiturus sit exitum, quod sanè cognitu est difficile, cum proportio agentis ad passum, seu efficacia naturæ pugnantis, & causæ morbificæ resistentia, à qua morbi pendet duratio sciri exactè vix possit. Ut igitur ratiocinando quam proximè assequamur longitudinem & brevitatem morbi, scire imprimis oportet, morbum brevem appellari, qui

qui citò terminatur, longum, qui diuturno tempore vincitur, aut vincit, vel perseverat usq; ad mortem, brevium quidam sunt acuti, qui præter motus celeritatem habent etiam magnitudinem, ob quam periculo non carent: Quidam sunt non acuti, qui citò quidem finiuntur, sed periculo carent, ut Ephem. & tertiana exquisita. Neque est admittenda Petri Salii sententia primo de M. tex. 3. negantis omnem morbum acutum esse celeris motus. Aliud est inquit citò terminari, & celeriter moveri: Nam cita terminatio circumscribit breve spatium temporis totius morbi, cujus ratione morbus dicitur brevis, quia paucis diebus terminatur, at celeriter moveri non denotat tempus, sed conditionem motus, qui in illo tempore fit, unde quia morbi acuti à materia frigida non habent celeres accessiones, licet terminentur,

non sunt celeris motus, atque adeò non omnis morbus acutus erit motus celeris. Ex quo infert, dari posse morbos longos lethales, & celeris motus, quales ait esse Epilepsiã, & asthma, quia licet diu durent, celeres tamen habent accessionum motus; ideo Gal. cum 2. de D. decret. cap. 12. & 2. Aph. 23. ait, acutum esse, cujus motus est velox, & celeriter ad statum properat; respicere non qualitatem motus, sed ejus terminum, ad quem paucis diebus pervenitur.

Verùm hæc sententia non est ad Gal. mentem, qui morbi acuti brevitatem, ab ejus celeritate non distinguit, & rectè: Nam morbus acutus non habet aliud spatium pertranseundum, quàm durationem, qua mensuratur, unde cùm motus velocitas ex Aristotele 4. Phys. attendatur penes tempus, quo numeratur motus, brevitas autem penes spa-

spatium, quod mobile pertransit, ac in morbo acuto eadem sit mensura & spatii, & temporis, non est brevitas à celeritate distinguenda: Ut igitur simpliciter verum sit, motus brevitatem, à celeritate distingui: Quia tamen spacium acutorum consideratur penes durationem, qua materia morbifica movetur, & agit in corpus cum periculo; Non est in acutis necessaria hæc distinctio. Quando non est admittendum dari morbos acutos tardi motus, aut morbos longos celeris motus. Nam licet aliqua eorum pars sit celeris motus, tamen fit denominatio à toto morbo, qui ad suum terminum lentè deducitur, alioquin eadem ratione liceret appellare, hos morbos breves, quia ipsorum accessiones non modò sunt celeris motus, verùm etiam citò terminantur.

Acutorum verò quemadmodum va-

variæ sunt differentiæ, ita distincti termini. Exquisitè peracutus quatuor primis diebus terminatur. Peracutus simpliciter prima septimana. Exquisitè acutus undecim diebus si natura admodum sit robusta, sin minus diebus quatuordecim. Acutus simpliciter ad summum vigesimo die judicatur, non rarò decimo septimo, si virtus robustior extet. Quod si vigesimum pertranseat, fit acutus ex *decidentia, & quadragesimo die* terminatur: Ultra quem terminum appellari desinit acutus, fitque chronicus, adeo ut morbi chronici ultra quadraginta dies per se necessariò prorogentur. Qui ex acutis chronici fiunt, si vires habeant satis validas habeatque materia aliquid stimulantis acrimoniæ terminantur sexagesimo die, sin minus octuagesimo, & ad summum centesimo. Reliquorum chronicorum, qui ex acutis

cutis non fiunt, incertus est terminus, quem is solùm exactè metietur, qui naturę robur, & causę morbificę resistentiam æstimare potuerit. Observandum tamen, morbos fieri breviores, quàm sua natura forent, si opportunis remediis naturæ succurratur; Ac propterea morbi longitudinem æstimandam esse non tantum penes proportionem naturæ agentis ad causam morbificam patientem, ac reagentem, sed etiam penes resistentiam causæ morbificę ad materias remediorum, à qua resistentia respectivam morbi magnitudinem sumi dictum est. Fiunt quoque morbi breviores, ex accidenti, quando ægrum ita languidum adoriuntur, ut totum morbi impetum sustinere non queat, ut plerunque accidit in morbis lethalibus: His notatis haurienda sunt signa longitudinis, ac brevitatis morbi à cōsuetis fontib.

Ad

Ad essentialiter inhærentia quod attinet; A specie, ac motu morbi prænunciatur brevitas, aut longitudo. A specie. Nam morbi calidi cum materia cæteris paribus sunt breviores morbis frigidis; morbus siccus, aut planè est insanabilis aut nonnisi longissimo tempore sanatur 7. Meth. 5. Omnis morbus acutus est brevis. Morbus magnus respectu causæ juvantis est longus, nisi mox aliundè adveniens malum brevier. *Tumores*, ac solutiones unitatis sanabiles tantò sunt longiores, quantò majores, *lethales* verò tantò breviores. Morbi complicati, & contrarii longiores sunt quam simplices. A motu morbi præcipuum sumitur argumentum nam quò longiùs abest morbi statꝰ, eò morbus est longior, eò brevior, quò status est vicinior, quia statum excipit declinatio, statum autem citò venturum conjicies, si statim

apparcant signa coctionis, aut corruptionis: Si symptomata statim fiunt vehementissima: Sed si accessiones non ampliùs anteponant, verùm a quali hora revertantur, pariterq; affligant, & durent, jam adest status: Ac si à principio eadem hora fiant accessiones, diuq; durent cum signis cruditatis longissimum fore morbum indicant, si postponendo minus durent, brevi finiturum significant: Quæ sæpe anticipando præcedunt magisque affligunt, durantq; diutius, proximum jam statum, & morbum fore brevem ostendunt, ac si cum signis coctionis jungantur, salutarem, si cum signis cruditatis letalem.

Causæ & ipsæ tum externæ, tùm internæ quandiu duraturus sit morbus significant. Longiores fiunt morbi quando externæ causæ habent rationem conservantis morbos, & remediis adversantur,

tur, breviores verò evadunt quando habent rationem causæ juvantis, & remedii. Si remediis opportunè adhibitis, statim levetur malum, brevitas à juvantibus significatur: Si parum, aut nil remedia prosint, longum fore morbum significant, nisi ob ejus vehementiam æger citò pereat; Evenit autem quatuor præcipuè ob causas morbificam causam valdè resistere remediis, quæ omnes longitudinem morbi significant, & curationis difficultatem. Prima est, si remedia ad partem affectam afferri nequeant, nisi post multas alterationes, & viribus ferè exsolutis. Secunda, si medicamentum permanere nequeat in parte affecta, ut fit in ulceribus Gulæ ob ejus declivitatem. Tertia, si materia morbifica admodum sit crassa, viscida, dura, copiosa. Quarta, si natura non adjuvet, aut valdè debilitet vim remedii:

dii: Unde affectus partium nervosarum, & exsanguium longi censentur, quia partes affectæ ob inopiam caloris ægrè dissolvunt materiam morbificam. Qua ratione ait Hipp. destillationes in senibus difficulter concoqu, & renum, Vesicæque vitia in iisdem difficulter sanari. Planè dispositio naturalis tùm totius corporis, tum partis alicujus affectę multum confert ad cognoscendam morbi durationem. Etenim iidem specie affectus longiores sunt in senibus, quàm in pueris, & adolescentulis: Diuturniores sunt, curatuque difficiliores affectus partium ignobilium, ad quas natura consuevit varia excrementa deponere, ut sunt intestina, anus, glandulæ, uterus, renes, vesica; Vel quæ ob propriam, aut contractam imbecillitatem quodvis obvium facilè susçipiunt, ut articuli, & Pulmones diuturna fluxione relaxati, sic

ob

ob partis dispositionem citius curatur vulnus in carne, quam in nervo. Ab internis caussis efficientibus conjicies affectū fore diuturnum, aut brevem collatis humoribus, aliisque inde genitis inter se, & ad corpus, quod afficiunt. Nam quantò vehementiorem efficiunt morbum, tantò significant breviorem fore, quia natura extremos conatus diu perferre non potest. At servata paritate longiores fiunt morbi à copiosa, crassa, lenta, *indurata, impacta materia*: Breviores à pauca, tenui, spirituosa. Ideò brevissimi sunt morbi à spiritu, ut eph. Postea à bile, & sanguine: Longissimi à Melancholia, & Pituita maximè verò impacta, aut indurata, quales sunt exacta suffusio, calculi, scirrhi, scirrhosi tumores, antiquæ obstructiones uteri, & Hypochondriorum. A flatu fiunt breves affectiones, nisi adsit causa con-

continuò regenerans flatum, ejusque mineram, ut in tympanite, & ventriculi languidi inflatione. Si de symptomatis sermo sit, actiones læsæ cum statim deveniunt ad summam vehementiam adesse statum significant, quia est vehementissima pars totius morbi p. de cri. 8. atque adeò morbi brevitatem indicant.

Propterea scribit Hipp. 1. Aph. 7. Morbum peracutũ cognosci, cum protinus extremos habet labores, itaq; vehementia, aut remissio symptomatum in accessionib⁹ statum, aut propè ad esse, aut proculabesse, morbumque aut brevem, aut longum fore indicat. Quia tamen sæva interdum in principio morbi conspiciuntur symptomata, quæ adveniente statu delitescunt, quæque non morbi propria sunt, sed causæ morbificæ ad certas partes agitatæ,

tæ, diligenter sunt distinguenda propria morbi accidentia ab iis, quæ aliundè pendent: Illa enim eadem habent tempora cum morbo, ista vix unquam, ac propterea statum morbi non indicant. Privatim verò virium vitalium, & naturalium imbecillitas in acutis morbum breviat mortis interventu, in aliis producit; Eædem vires validæ in acutis cum signis cruditatis arguunt morbi longitudinem, cum signis coctionis brevitatem; *Ab* excretis quatenus *cruditatem*, aut coctionem præ se ferunt (quæ signa mox apparentia vocat Hipp. 2. Aph. 12.) cognoscitur adveniens status: Ideò signa coctionis statim apparentia brevitatem; signa cruditatis diu perseverantia longitudinem, at signa corruptionis statim supervenientia una cum brevitate mortem significant, Qualitas mutata idem monstrat non rarò. Lenta extenuatio

tio corporis in febribus continuis diuturnitatem significat 2. Aph. 28. quemadmodum in toto corpore mutationes accidunt, ita ut modò refrigeretur, & vicissim calefiat, vel color alius, ex alio oriatur 4. Aph. 40. Ingens durities in tumoribus, & obstructionibus morbi denotat insolubilitatem, quæcunq; alia durities longitudinem, ac difficultatem. Frigiditas in accessionibus intermittentium diu durans indicat longam fore accessionem, atq; etiam totum morbum, si in singulis circuitibus eandem rationem servet. Siccitas, & asperitas cutis in hecticis brevi adventuram mortem significat.

Restant signa critica, necnon coctionis, & cruditatis, sine quorum notitia incertam reddi necessum est salutis, ac mortis prægnitionem.

De signis coctionis, & cruditatis.

CAPUT XI.

COctio, eique opposita cruditas, & inquinatio præsertim attenditur in sputis, urinis, alvi dejectionibus, pure ex ulceribus, ac vulneribus egrediente. Suntque tres ejus gradus: Debilis, & obscura coctio, quæ in fine principii universalis morbi salutaris cernitur p. de Cr. 17. Coctio manifesta, quæ augmenti principium significat, & perfecta, qualis in statu morbi salutaris conspicitur? Quod de cruditate oppositio modo est intelligendum: Nam exacta inquinatio, ac corruptio morbi lethalis statum designat, manifesta augmentum, obscura autem principii finem; At integra cruditas abs-

absque signis corruptionis primam, ac mediam principii universalis partem circumscribit. Verùm cum coctio sit assimilatio rei coctilis cum concoquente, primò quidem quoad accidentia, quę materiam disponunt ad receptionem formæ substantialis agentis, d indeverò quoad substantiam ipsam, ut evenit in completa nutritione, ac substantiali transmutatione alimenti, non ideò dicuntur excrementa cocta, quòd perfectè assimilata sint naturæ concoquenti, vel quoad formam, vel quoad naturalia accidentia; sed quòd eam elaborationem à naturali calore acquisiverint, quam ex propria dispositione recipere potuerunt proximè accedentem ad naturalia humorum accidentia, nam ad bonam concoctionem præter vim principalem nativi caloris agentis, quem externus,

& potissimum medicamentorum calor adjuvat, requiritur etiam dispositio passi, quòd si nimirum recedat à naturali constitutione, facilè vincitur, & assimilatur ab agente; si alienas qualitates contraxerit difficiliùs vincitur, quinimmò agens ipsum vincit, & enervat, si adeò pravæ sint alienæ passi dispositiones, ut naturalem calorem extinguat obruatque. Calor autem concoquit, disgregat heterogenea, & paulatim cogit homogenea quoad moderatam consistentiam acquirant. Cum coquere non potest, sive ob propriam imbecillitatem sive ob pessimam excrementi qualitatem, quæ acrem caloris actionem respuit, materias confusas finit, tenues non incrassat, crassas non attenuat: Quando ob agitationem, quam à calore debili sumunt excrementa, deteriores indicant conditiones, quæ

quæ devictum calorem nativum arguunt, ut sunt calor niger, lividus, plumbeus, fœtor, acrimonia.

Concoctæ censentur urinæ subruffæ, aut paleares mediocris consistentiæ, cum sedimento albo lævi, & æquali, in fœminis, pueris, aliisque, habitu humido prædictis copiosiori. Sed notandum, istas esse notas urinæ exactè coctæ in corpore benè temperato; Nam in corpore bilioso, urinæ quantumvis coctæ non omnia enumerata indicia præferunt, quia bilis tam probè elaborari non potest à calore. Absolutè ergo præstat sumere notas urinæ coctæ, aut crudæ respectu urinæ corporis sani ante quàm ægrotaret, quàm facta comparatione ad optimam, & coctissimam urinam, quæ convenit benè temperato corpori. Universaliter enim verum est, mensuram status sa-

norum esse optimi corporis constitutionem, statum verò ægrotantium mensurari debere penes recessum à proprio statu naturali. Crudissima est urina alba, tenuis, perspicua, nullum habens contentum, tenuisq; permanens post mictionem: Minus cruda est tenuis, colore ruffo, flavo, aut rubro tincta. Quæ tenuis mingitur, & paulò pòst crassescit, obscuram indicat coctionem.

Urina crassa micta, & talis permanens, neque subsidens, sive sit ruffa, sive alba, semper est cruda. Quæ crassa mingitur, & paulò post attenuatur obscuram denotat coctionem, crassa autem in declinatione ac subsidens, perfectam arguit coctionem, hypostasis crassa, aut tenuis, cujuscumque sit coloris cruditatem significat: Suspensum matulæ fundum attingens, ac divulsum imbecillem, & obscuram co-

coctionem | sequitur. Nubecula rubra, aut alba manifestam indicat coctionem: Livida verò viridis, aut nigra manifestam corruptionem. At rubra urina, & confusa, crassa & nigra extra tempus declinationis, crassa & viridis, crassa quævis, ac fœtida, quæ ex partium mictioni dicatarum ulcere non pendeat, perfectam indicant inquinationem, cum qua diu stare vita non potest. Tenuis, & nigra summam cruditatem significat, quam non sequitur coctio, aut inquinatio, propter omnimodam caloris extinctionem, ideoque mortem portendit ante morbi augmentum: Nisi placeat dicere nigredinis gradus in urina tenuissima etiam gradus inquinationis, ac tum fieri manifestam inquinationem, atq; adeò augeri morbum, quando urina tenuis obscurum, ac plumbeum colorem contra-

here incipit, adesse verò omnimodam corruptionem, & morbi statum, quando planè plumbea, livida, atra reddita est urina: alvi excrementa perfectè cocta sunt mollia, modicè consistentia subruffa non admodum fœtida: crudissima sunt liquida quemcunque colorem præ se ferant; Quæ prius liquida leviter crassescunt, obscurè cocta sunt. Dejectio sanguinea, ac chylosa, & pinguis ex substantificæ humiditatis *colliquatione*, licet propriè loquendo non sit rei crudæ, & inconcoctæ excretio, quia tamen est toto genere præter naturam, & fæcum elaborationem impedit, cruda dici debet respectu naturalis excretionis alvi. Sicciſſimæ, & nigræ fæces non coctionem, sed tostionem: at liquida excretio valde fœtens, nec ullum sincerum excrementum referens, insignem arguit corruptionem, nigra verò, liqui-

liquida, splendens, liquatæ pici similis, aut erugini oleo solutę inquinationis aburent e calore factæ index est.

Pus optimum, & concoctum est visu candidum, aut cineris probè excocti referens colorem, præsertim, si os aliquod affectum sit, est crassum, sibi undiq; simile, tangenti læve, ac minimè fœtidum 1. de D. ff. febr. c. 5. Crudum est tenue, sanosum, modò unum, modò alterum colorem referens respondentem excremento semiputrido, sanguini mixto, qui in bonum pus converti non potuit; Cumque varia sint hujuscemodi excrementa, & specie, & colore, & consistentia, fit ut imperfecti puris differentiæ latissimè pateant, uti Galenus ibi admonet. Ac pus sanioſum, sublividum, gravissimè olens correctionem significat, tantò majorem, quantò evi-

dentiora in ipso fuerint hæc accidentia.

De sputis crudis, aut concoctis, multa passim à se dicta velut epilogo colligit Galenus 1. Aphorism. comm. 12. Sputum inquit summam cruditatem indicat, quod omninò non spuitur. Tenue verò debilis, & obscuræ coctionis, est signum, maximè si sit sincerum, ac minimè permixtum, vel flavum, vel ruffum. Si sit fœtidum, *lividum*, *nigrum*, *æruginosum*, corruptionem significat. At perfectæ coctionis, signum est sputum album, læve, æquale, mediocriter cohærens, nec supra modum humidum, aut crassum: quanquam in inflammationibus pectoris fieri potest, ut sputum probè coctum sit rubrum, cum mitissimæ pleuritides solo sanguinis sputo, prima statim aut secunda die incipiente, septem dierum spatio terminentur. Coctione

ne autem terminantur diuturni morbi à materia non admodum irritante pendentes.

De signis criticis.

CAPUT XII.

CUm crisis sit repentina mutatio morbi ad salutem, aut mortem, ea dicentur signa critica, quæ hanc repentinam mutationem prænunciant, quorum duplex est genus, alia enim proximam mutationem præcedunt, aut comitantur, quæ propriè crisima signa à Galeno vocantur 1. Aph. 12. suntq; supervenientia, nec in principio morbi apparere unquam solent: Alia futuram mutationem longè antecedunt, & etiam à principio apparentibus ipsa morbi essentia morbificæq; causæ proprietas judi-

cat statim ab initio, quib. in morbis expectanda sit crisis. De utrisque hic sermo est, ut signorum ubertas certiorem pariat crisis cognitionem, quæ ut exacta evadat, cognoscere in primis oportet, an sit expectanda crisis, tùm quando sit futura, quo die, qua hora, cujus materiæ futura sit vacuatio, & per quem locum: Deniq; distinguenda est perfecta crisis ab imperfecta, salutaris, à lethali.

Futuram crisim indicat primum natura crisis, nam in omni morbo magno, ac celeris motus expectanda est crisis. In morbis chronicis contingit quidem aliquando post longam excrementorum coctionem naturam moliri causæ morbificæ expulsionem: Sed primo id est rarum, cum chronici morbi salutares coctione terminentur, deinde ea vacuatio, cum non sit repentina mutatio, sed sensim facta mi-

minus propriè crisis nomen meretur.

Secundo indicatur crisis à morbi, ac ipsius crisis natura. Nam si materia morbifica naturæ valdè sit gravis,& vel quantitate,ut in synocho, vel mala qualitate admodum irritet expultricem, visque expultrix sit valida certè supervenit crisis. At si virtus sit debilis, adeò ut pugnam aggredi non possit adversus causam morbificam,moriuntur agri absque crisi. Quod si cum materiæ morbificæ irritamine, ac facultatis robore, adsit quoque viarum dispositio, per quas fieri crisis potest, non est de futura crisi dubitandum; ut si in morbo, in quo sudor rationabiliter expectatur, adsit magna raritas cutis, nec habitus corporis sit densus. A juvantibus, & lædentibus, non solùm futura crisis cognoscitur, sed etiam si qui motus acciderint ægro per modum

crisis facilè à symptomatis distinguuntur. Itaque juvantia coctionem crisim portendunt, quando in principio, vel augmento morbi magnas vacuationes non concomitantur: Siquidem vacuationes, quia materiam minuunt, roburque expultricis quadantenus frangunt, crisim quæ aliàs futura erat impediunt. Ita si motus accidentes ægro præsertim die critico vires sublevarint, morbumque remiserint, *criticos fuisse certum* est, unde Hipp. 2. Aph. 13. noctes crisim subsequentes leviores, esse ait, at si morbum non levarint, sed etiam viribus graves extiterint, non sunt critici censendi, & à natura dominante provenientes, sed symptomata. Tertiò indicatur crisis ab effectibus, seu supervenientib9 symptomatis ex forti pugna naturæ cum causa morbifica, cujus causa fit insignis agitatio materiæ adeoq;

va-

varia ſumptomata pro humoris agitati, partis quàm petit, & naturæ roboris conditione, cujusmodi ſunt rigor inexpectatus, repentinus cap. dolor, vehemens & inopinata diſpnœa, hypochond. dolens cõtentio, vigilia, delirium, inquietudines, faciei rubor, ſpectra ante oculos obverſantia, unde ait Hipp. loco citato, iis gravem eſſe noctem ante acceſſionem, quibus futura ſit criſis. Sanè nunquam certius adventantem criſim cognoſcere eſt, quàm cum fine ratione, & inopinatò gravia ſuperveniunt accidẽtia, apparentibus ſignis coctionis, & valida exiſtente natura: Quibus ſignis, ut metus aſſidentibus ægrisq; incutitur, ita medico proxima morbi judicatio indicatur. Similitudo, & ipſa futuram criſim interdùm prænunciat. Nam ſi occurrat aeris conſtitutio, in qua plurimi affectus ſimiles criſi eſſe terminati ab ini-

initio fuerint obſervati, ſperan 'um eſt omnes alios deinceps eadem ratione terminatum iri. Talis fuit conſtitutio Patavii M.DC.VIII. æſtivo & verno tempore, vere enim omnes bilioſæ feb. per cutanea tubercula judicabantur, adveniente autem autumno pruritu ac ſcabie ſuperveniente ſtatim ſolvebantur.

Quando futura ſit criſis.

CAPUT XIII.

FUturæ criſis tempus, diem, & horam, is ſolus perfectè divinabit, qui efficaciam naturæ, & cauſſæ morb:ficæ metiri didicerit. Nam cur hoc, vel in illo die criſis fiat, id equidem non diei, aut numero adſcribendum, ſed vincenti naturæ, cujus virtus cum finita ſit, quemadmodum finita quoque eſt morbifi-

cæ

cæ cauſſæ reſiſtentia, & activitas, atque adeò una in alteram infinito tempore agere nequeat, & durare, donec ab unius parte victoria, ſubſequatur, fit, ut eo tempore judicium accidat, quo natura domare poteſt cauſam morbificam, ex determinata efficacia propriæ virtutis agendi, & cauſæ morbificæ diſpoſitione, in quibus ſi variatio aliqua contingat, accelerari, vel retardari criſim neceſſe eſt.

Dies itaque ac omnino tempus non aliter criſim indicat, quam ut eſt menſura agentis ac patientis finitæ virtutis, quam ut ſemper agere, ac pati impoſſibile eſt, ita tanto tempore vincere, aut vinci oportet. Sed quia nullus eſt mortalium, qui potentias activas ſuis gradibus definire poſſit, ideoque critici dies à priori conſtitui nequeunt. Diuturna obſervatio id tandem aſſecuta eſt, ut quanto tempore durare natu-

natura possit contra caussam morbificam in morbis acutis determinare valeat. Quia igitur gratia exempli observatum est, in morbo peracuto apparente coctione secunda die, crisim apparere septima die, dicendum est naturam humanam, ut similem caussam morbificam vinci jam cæptam omninò superet, aliorum quinq; dierum spatio indigere. Idem de cæteris diebus criticis est judicandum, quorum unica est causa, limitata scilicet naturæ, ac morbificæ causæ activitas, ex intrinseca finitæ virtutis constitutione, adjuvantibus causis externis præsertim aeris calore, à lumine syderum excitato, à quibus causis alterutrius actio, vel juvari, vel retardari potest. Etsi verò crisis tempus à priori præcisè mensurari nequeat, proximè tamen conjicere licet ex propriis signis, quando ea futura sit. Imprimis verò con-

considerare oportet morbi idæam, vehementiam, ac motum.

Nam quo vehementior est morbus, quò celerius ad statum properat, eò citius futura est crisis: Optima enim, nō nisi in universali morbi statu, & exacerbatione paroxysmi cōtingit, tum quia perfecta coctio ad bonam crisim necessaria ante statum non absolvitur, tum quia in exacerbatione maximè pugnat natura cum causa morbifica, & ipsam maximè agitat.

In principio aut declinatione universali nunquam expectanda est crisis, ut propterea ridendi sint imperiti Medici, qui in universali declinatione pharmacum exhibere volentes ad avertendam recidivam dies criticos observant, ne aliquem naturæ motum præpediant. Porrò extremè peracuti primo quaternario judicantur, peracuti septenario, acuti simpliciter &

ex-

exquisitè tales decimoquarto die, si natura sit valde fortis undecimo, non exquisitè tales vigesimo, si natura sit fortis decimoseptimo. Acuti ex decidentia à vigesimo, usque ad quadragesimum, nimirum vigesimoquarto, vigesimoseptimo, trigesimo, trigesimoquarto, trigesimoseptimo, & quadragesimo, prout major, aut minor coctio diebus indicatoriis observata fuit. Præterea qui morbi diebus paribus exacerbantur *diebus paribus* judicantur, ut legere est 3. Ep. 3. de Larissea virgine, & de Pithione, qui decima die liberatus est, qui verò imparibus diebus exacerbantur, ut morbi à bile, imparibus quoque judicantur. Si itaque crisis diem cognoveris, ejus horam à morbi motu cognosces inquirendo horam vehementiæ accessionis, quæ præcessit, quoniam in vehementiori hora totius accessionis, ac

sum-

ſummo ejus vigore criſis accidit, maximè quæ deſinit ad ſalutem, nam lethale judicium, & cum eo mors quocumque advenire poteſt tempore, quo graviſſima accidentia ſuccreſcunt, quod nonnullis evenit in ſtatu, moriunturque ex vi morbi, nonnullis in declinatione particulari, qui intereunt ex languore, & diſſolutione virtutis. Cauſſæ etiam celeriorem, aut tardiorem criſim oſtendunt; Nam ſi anni tempus, regio, cæli ſtatus, natura patientis ad calorem non mediocrem inclinent, atque morbifica cauſa ejusdem conditionis extiterit, citò futuram criſim neceſſum eſt, tardiùs autem, ſi magis ad frigidum vergat.

Verùm ab effectibus, ſeu ſymptomatis longè certiùs indicatur criſis tempus. Nam apparentes criticæ perturbationes, quas propriè dici criſima ſigna à Gal. notatum eſt,

est, significant crisim futuram in proximæ accessionis vigore. De iis agit Hpp. 2. Aph. cum ait noctem præcedentem crisim esse gravem, & 2. Epid. 2. ubi reformidat judicatoria statim in principio apparentia: Nam per judicatoria non intelligit signa coctionis, quę securitatem, ac celeritatem judicii semper pollicentur, sed perturbationes criticas, quæ instante crisi exlucta naturæ cum causa morbifica inopinatò adoriuntur; Quoniam tales non accidunt in principio nisi ob ferociam humoris à natura non domiti, & tumultuario motu varias corporis regiones infestantis. Insuper quo modo symptomatum vehementia, ac motus, universalem morbi statum significat, eodem significat & crisis tempus, quod est totius morbi vigor: Siquidem morbus sit ejusmodi, ut in eo crisis expectetur. Ab excretis quatenus

tenus coctionem præseferunt, illamque die judicatorio ostendunt, præcipua temporis crisis indicia petuntur. Ac coctio quidem tanti est momenti ad crisim, ut scribat Galenus 3. de crisibus se neminem vidisse unquam mortuum, qui præcedentibus coctionibus esset judicatus.

Coctio ergo apparens quarto die, si æger deterius habuerit, judicium in quinto die promittit. Quòd si error committatur, cujus causa vires labantur morbusq; celeriorem motum requirat, ac per accessiones pares, judicium futurum septimo die antevertet sexto die. Pariter coctio apparens quinto die judicium promittit nono, aut undecimo. Si appareat septimo judicium erit undecimo, nisi celeritas motus aliquando ob causam remissa judicium protrahat usque ad decimumquartum diem, & tantò

tò ultra deinde fiet judicium quantò apparuerint dicta signa ultra septimum, nisi morbus celeriorem acquirat motum. Verùm si coctio apparet undecima die, judicium fiet decimoseptimo, ac si celerior fiat, decimoquarto, si tardior, vigesimo, & sic deinceps. De quibus indicatoriis, ac judicatoriis diebus scripsit Hipp. 2. Aph. 24. cum inquit, septenorum quartus est index, & cætera. Cæterum ne coctio apparens *in prædicendo* crisis tempore fallat, nihil ex coctione certi prædices, nisi sit continua, ac constãs per totum morbi progressum, ab eo tempore, quo apparuerit, ad finem usque. Nam cum varias ob causas retardari, & interrumpi coctio possit, præsertim vero errore Medici, ægri, aut assidentium, tantò magis retardari crisis potest, quantò majus impedimentum naturam à suo opere distraxerit, sed &

accelerari potest, si virtus aliquam ob causſam gravata robustior fiat, quia & melius validiùsq; coquit, & validius expellit. Unde colligo coctionis conditionem indicare crisim ejusque tempus quatenus coctio est, non quatenus hoc vel illo die apparet, nam ut judicatorius dies est terminus actionis nostræ in morbum, ob limitatam utriusque agendi ac patiendi vim, ita indicatorij est signum durationis illam pugnam mensurantis, nõ quatenus quartus, aut septimus, aut undecimus, sed quatenus certum denotat gradum coctionis, à qua nativi caloris robur, & materiæ morbificæ dispositio per se significatur. Verum illud quidem est, crises incidentes in dies intercalares, & minimè in judicatoriis diebus præmonstratas, infidas ut plurimum esse, at non ex propria dierum cõditione, sed quia signum

est, naturalem agendi ordinẽ, quem diuturna observatio certis diebus jam circumscripsit, perturbatum fuisse. Natura autem perturbata nihil satis tutum agit. Sed tamen quocunq; die coctio proba apparuerit, & quocunque crisis sequatur, dummodo naturæ robur adsit, magis est fidendum, licet utrumque in alienos dies incidat, quàm si coctio non æquè bona die indicatorio non appareret, & crisis die *judicatorio sequeretur* cum languore. Plerunque etiam apparere solent quædam præludia accidentium, quæ solent crisim præcedere juxta futuræ vacuationis naturam, & conditionem; ita ut eodem signo non modo judicii diem prædicere possis, sed etiam vacuationis speciem, V.G. si quis septimo die est sudaturus, quarta die levi sudore corripitur. Si fluxurus est sanguis per nares, aliquæ san-

sanguinis stillæ erumpunt. Nauseant quarta die, septima sunt vomituri, Ventris torminibus corripiuntur, qui sunt Diarrhæa judicandi.

Quemadmodum verò signa coctionis cum virium robore certis diebus apparentia tempus bonæ crisis prænunciant, ita contra signa corruptionis cum virium languore diebus indicatoriis apparentia eò die mortem adventuram portendunt, quo fieri judicium oporteret: Ut si quarta die signa corruptionis appareant, viresque magis languidæ, septima die mors expectanda est.

Neque negligendi sunt lunæ aspectus ad prædicēdam crisis diem, nam si in judicatorios dies felices incidant aspectus, eò certiùs expectanda est crisis, sin aspectus sint mali, & nativo calori opem non ferant, luminis & caloris benefi-

cio, verendum, ne aut tardetur crisis, aut admodum laboriosa fiat, quam ob causam critici dies, mensisque Medicus penes lunæ circuitum ab omnibus desumuntur, circuitum inquam, qui metitur reditum lunæ ad idem Zodiaci punctum, qui viginti septem dies solares, & octo æquinoctiales horas circiter comprehendit, quantum est spatium veri mensis Medici. Unde nec computari possunt dies pro cursu solis horarum, id est viginti quatuor æquinoctialium, nec proportionaliter demi debent dici solari tot horæ, quot diebus abest mensis lunaris à solari, ut inde veri dies Medici resultent, quia Lunæ motus est irregularis, & proportionaliter sumi non potest singulis horis, ac diebus, cum aliquando sit celerior, aliquando tardior. Pessimè verò faciunt Medici, qui in numerandis, & consti-

ſtituendis diebus criticis unicuique diei naturali unam horam demunt ut medicum diem conſtituant, nam lunaris peragratio fit viginti-ſeptem diebus, & octo horis, id eſt ſexcentis quinquaginta ſex horis æquinoctialibus. Quare ſi motum proportionalem lunæ ſpectes ſingulæ ſeptimanæ continebunt horas centum ſexaginta quatuor, ſinguli verò dies horas viginti tres, & triginta quatuor minuta circiter, qua ratione diei ſolari, ac naturali demi deberēt triginta quatuor minuta, 17. ſecundæ circiter, non autem hora integra. Tunc ergo prima ſeptimana medica completur, cum nonaginta gradus ſub Zodiaco, id eſt tria ſigna percurrerit, tunc eſt quartus dies, quando abſolverit quadraginta quinque gradus, quod aliquando celeriùs fit, aliquando tardius. Ita ut cum luna celerem habet motum, prima

septimana vera incidat in diem sextum Astrologiæ imperitorum opinione, & cum motum habet tardum incidat in octavum, unde, & in prædicendo die crisis errant, & in distinguenda perfecta crisi ab imperfecta. Quanto igitur tempore hi lunares quadrantes, ac septimanæ absolvantur, & quantum spatium singulis diebus luna percurrat ex vero lunæ motu qui in Ephemeride exprimitur, petendum est.

Qualis materiæ futura sit evacuatio, vel abundè ex illis ostenditur, quæ peccantem humorem indicant, fit enim crisis ejus materiæ, quæ peccat, cum natura pugnat, ab ea coquitur, vincitur, & expellitur, unde quęcunque materiæ non peccantis, & inconcoctæ fit excretio, ea non critica, sed symptomatica est.

Rex

Per quem locum futura sit crisis.

CAPUT XIV.

AT quomodo, & per quem locum futura sit crisis sedulo est explorandum, tum ut per loca conferentia, & quò natura vergit vacuemus, si adjuvandus sit naturæ motus; tum ne intempestivis remediis imminentem naturæ motum impediamus. Duplici autem modo accidere solet crisis, per excretionem, & abscessum, illa ad perfectam crisim requiritur, iste sit translatione materiæ peccantis de uno in alium locum non sine novi affectus generatione, qui salutaris est, quando materia à loco nobili convertatur ad ignobilem, lethalis, quando morbus in deteriorem, vel æquè gravem permutatur.

An ergo futura sit crisis per vacuationem, an per abscessum, inde cognoscitur, quod morbi calidi, ut plurimùm per excretionem, frigidiores per abscessum terminantur. Fiunt aliquando excretiones etiam in chronicis, cum adest robur facultatis, humorisque ad aliquam partem propẽsio, & viarum præparatio, quâ ratione quartanas febres urinæ nigræ excretione aliquando solvi conspicimus: E *contrario in acutis aliquando fiunt* abscessus ob contrarias causas; Si verò materia morbifica sit valdè tenuis, ac fluxilis, valdè irritans, & viæ, ad quas humor inclinat, sint apertæ, validaque expultrix, futura est crisis per excretionẽ. Propensio quoque humoris, ac dispositio corporis, idem indicat: Nam si quis tempore sanitatis frequentem habeat vomitum, aut frequentes sudores, incidatque in feb. ardentem, credibi-

dibile est per vomitum, aut sudorem solutum iri. Hac ratione quia pueris familiares esse variolas novimus, si quis ejus ætatis, qui variolis non laboravit, in synochum incidat, erupturas esse variolas opinabimur. Sed quoniam morbi à frigidis humoribus aliquando per abscessum finiuntur, aliquando per coctionem, illud quoque præ-dicere oportet.

Abscessum fore arguit primo dispositio materiæ, si crassa sit, acris, ideoque irritans expultricem, ita tamen, ut propter visciditatem, & copiam, sui expulsionem extra corpus prohibeat, quam ob causam in quotidianis, ac quartanis sæpissime fiunt abscessus. Contra si materia neque copia, neque acrimonia valdè irritet expultricem, sola coctio expectanda. Præterea ubi magis vigere expultricē, quam concoctricem advertemus,

majus est futuri abscessus, quam coctionis indicium. Ac ut semel dicam, omnes causæ producentes crassos, & multos humores, eosque genitos significantes, futurum in feb. abscessum prænuntiant. Cruditas urinæ toto feb. tempore perseverans cum aliis signis salutaribus, abscessum fore indicat 2. Prog. 34. His adde signa particularia abscessuum quibus indicatur ad quam partem futurus est abscessus. Primũ est *humoris conditio*, nam tenuis humor ad partes superiores, & extimas inclinat, crassus ad internas, & inferiores. Secundum est situs ac natura partis mandantis, ac recipientis, nam pars valida expultrice donata ad longinquam transferre solet materiam, pars aliqua imbecillitate adventitia vel naturali prędita significat eò abscessum fore, præsertim si à parte affecta adsit recta via, per quam fieri possit materiæ

teriæ transpositio. Itaque si ante morbum pars aliqua laboraverit in eam morbus decumbet 4. Aph. 34. Si cerebrum afficiatur, expectãdæ sunt parotides, si jecur bubones, si venosum genus, abscessus articulorum, si cor, abscessus sub axillis. Tertium sumitur ab effectib⁹, nam ibi firmari solet abscessus, ubi dolores accidunt, & perseverant 4. Aph. 32. lassitudinem habentibus in feb. abscessum in articulos, & secundum aures potissimum fieri scribit Hipp. 4. Aph. 31. Rubor faciei, capitis gravitas, surditas cum sopore, urina crassa in febrib. continuis, parotides prænunciat.

Per quæ loca futura sit excretio, colligitur primo ex morbi natura, nam Phrenitides, & synochi fluxu sanguinis è naribus solvi consueverunt: feb. ardens, sudore, aut hæmorragia, aliæ feb. biliosæ, vel sudore, vel vomitu, vel alvi

fluxu, vel omnibus ex Gal. 4. Aph. 60. Pleuritis per sputum, aut urinam : Inflammatio Jecoris fluxu sanguinis per nares: Colligitur secundo, ex natura, situ, & connexu partis affectæ : nam gibba pars Jecoris affecta per urinam, aut sudorem, aut fluxum narium, cava per secessum, aut vomitum, excretionem fore significat. Cerebrum in calidis affectibus expurgatur per nares, *in frigidis per aures, aut parotides, dextræ verò* partes per dextram, sinistræ per sinistram expurgantur. Pulmones per sputum, lien per alvum, & vesicam, &c. A caussa efficiente sumitur quoque argumentum : nam bilis tenuis crisim ocyus per sudorem, aut vomitum portendit, crassa per dejectionem, sanguis tenuis per nares, crassus per venas uteri, aut hæmorrhoides. Causæ dispositivæ corporis idem præmonstrant: etenim

enim si cui per sanitatem facilis, & familiaris sit vomitus, aut alvi fluxus, aut sudor, aut fluxus sanguinis è naribus, per eam partem ad quam natura assuevit, critica excretio expectanda est. Ac si aliqua vacuatio consueta suppressa sit, ut menstrua purgatio, fluxus hæmorrhoidum, verisimile est naturam in facienda crisi ad pristinum opus redituram; ita si quis feb. ardente correptus habitum corporis habeat densum, in eo non est expectandus sudor, sed magis biliosa dejectio &c. Denique à symptomate futuræ excretiones cognoscentur. Nam hæmorrhagiam narium præcedit faciei, & oculorum rubor, cap. & colli dolor, aurium tinnitus, narium pruritus, temporum pulsatio, aut gravitas, visus hebetudo, rubra spectra ante oculos obversantia, lacrymatio, & indolens hypoch. dextri distensio,

Quibus apparentibus paulò pòst fluxurus est sanguis è naribus, maximè ætate juvenili natura biliosa, & feb. valdè acuta: Ac si in dextra parte evidentius apparuerint, fluet sanguis è nare dextra, & è contrario. Criticum menstruum antecedit gravitas, & æstus lumborum, hæmorr. fluxum præcedit gravitas ventris, ac lumborum dolor, ac pruritus ani maximè in eo, cui innatæ sint hæmorr. *Sudorem futurum indicant rigor* cum suppressione, aut imminutione urinæ, pulsus mollis, undosus, sensus halituosi vaporis è toto prodeuntis, extimarum partium calor, maximè verò si horum aliqua die indicatorio obscurè apparuerint, & ambientis frigiditas sudorem non prohibeat. Instans crisis per urinas noscitur ex gravitate hypogastrii, pubis extensione, pudendi ardore, præsertim si in die indicatorio urina cocta co-

nioso

piosior fluxerit, quàm pro consuetudine. Vomitum criticum præcedunt cap. dolor mordicativus, tenebricosa vertigo, palpitatio labii inferioris, oris amaritudo, frequens sputatio, fastidium, anxietas cum nausea, aut etiam cordis morsus, frigus partium, quæ sunt ad hypoch. ac earundem rigor, spirandi difficultas, pulsus durior, ac inæqualior, quàm ante, maximè si patiens ad vomitum sit pronus, & indicatorio die insueta nausea præcesserit. Diarrhæam imminentem indicant tormina, ventris inflationes, rugitus cum dolore lumborum, alvi crepitus, pulsus minor, ac frequentior, urinæ albidiores redditæ, ac tenuiores, vel etiam planè suppressæ. Ac concurrentib. quidē variis signis indicantibus vacuationes per diversas partes, excretionē per unum locum fore sciendum est: Si v. evidentiora fuerint v.g. futuri sudo-

sudoris indicia, quàm hæmorrhagiæ narium in feb. acuta prædicendum est sudorem jam jam uberiùs manaturum, sed fluxurum etiam aliquid sanguinis è naribus. Idem de reliquis intelligitur.

Quomodo cognoscatur perfecta crisis ab imperfecta, salutaris à lethali.

CAPUT XV.

NEc verò satest crisim prædixisse, nisi veram discernas à notha, perfectam ab imperfecta, quæ vel præsentem morbum non aufert, vel novum minatur, eximminente recidiva periculum: nam si factum sit perfectum judicium, Medico nihil est agendum ulterius 1. Aphor. 20. at si crisis fuerit imperfecta, naturæ defectus est arte compensandus, quia quæ relinquuntur in morbis

bis post judicationem, recidivam facere consueverunt 2. Aphor. 12. Crisim ergo fore lethalem prænunciat natura morbi maligna, pessima ejusdem causæ qualitas, virtus debilior in die indicatorio, cum signis corruptionis, aut majoris cruditatis; à contrariis indicatur futura crisis salutaris. An verò perfecta sit, an imperfecta vera, an falsa, sic distinguetur. Si motus die critico incidens morbum nihil minuat, aut etiam augeat, viresque non sublevet, aut etiam dejiciat, fuit motus sympt. & falsa crisis; at si conferat, vires sublevet, morbum minuat, aut penitus tollat, crisisque apparuerint indicia in die indicatorio, fuit motus criticus, & à natura, quem perfectum fuisse judicabis si acciderit in statu universali, præapparentibus signis coctionis in die indicatorio, si & talis vacuatus sit humor, & ea quantitate quemadmo-

modum morbi magnitudo postulabat, & per locum convenientem, ideoque morbus recesserit, vires sint refectæ, non relicta sit in pulsu frequentia, aut inæqualitas notabilis, æger somnum capiat minimè gravem, cibum benè appetat, & concoquat, excretiones per alvum, & veficam, ad naturalem conditonem redierint, perfecta crisis fuerit: Sin vacuata sit minor excrementi portio, quam *requirere videbatur affectæ vehementia*, corporisque plenitudo, neq; talis omnino vacuata sit qualis peccabat materia, si bilis tantum vacuatio fiat, quando melancholiæ est permixta (velut accidit in autumno, in quo feb. aliquæ temporis spatio delitescere solent, post vacuatam tenuiorem materiam, deinde repullulare ob novam putredinem crassioris humoris intus relicti) si post crisim tendantur hypoch. relinquatur cibi fa-

fastidium, nausea, ructus, sitis, celeritas, ac inæqualitas in pulsu, aut somni fiant perturbati gravesq;, urinæ appareant tenues, aut rubræ, alvus constipetur, aut liquida, vel nigra, exsiccata dejiciat, imperfectam fuisse crisim certum est, & nisi opportuno remedio occurratur tempestivè, recidiva expectanda est. Addit Hipp. à typo sumptum, seu circuituum ordine: Nam si morbus pares habens accessiones, impari die iudicetur, recidivam expectat, & contra si morbus impares habens accessiones die pari judicetur, quia nimirum naturam in coquendo, & expellendo perturbatam fuisse indicat ea sollicitudo: perturbatam autem naturam perfecta crisis rarò sequitur.

Hæc de signis universim, compendioseq; dicta sint.